OPVSCVLVM de Veneratione & inuocatione sanctorum, ab


Antonio Solærio Carpinate vtriusque iuris doctore & Baïocensi Canonico æditum in Desiderium Erasmum Roterodamum.

*

PARISIIS,
Apud Ioannem André, ad primam columnam Palatij Regij.

Cum priuilegio.

1548.



Illustrissimo, & Reuerendissimo, Domino, Domino Rodulpho Pio, Fauentiæ Antistiti meritissimo, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali dignissimo, Antonius Solærius, Carpinas, fœlicitatē & salutē æternam peroptat.



EMPER Saluus sis ætate fili amabilissime, Episcopatus ordinē pater benignissime, Cardinalatus dignitate domine mi reuerendissime. Iam triginta effluxerūt anni: quod quum essem munere honoratissimi patrui tui, Carpensis ecclesiæ Archipresbiter: Carpi te tunc adolescentem sub doctissimis præceptoribus liberales disciplinas adiscentem vidi, & allocutus sum. Quum enim ex adolescentis physiognomia & eius verbis, secūdum philosophi sententiam, comprehendere valeamus: qualis ille futurus sit: tunc ex aspectu tuo & lo

quela coniectauimus te à præclaris nobiliũ parentum tuorum vestigijs minimè degeneraturum: Sed decora vitæ illorum facillimè imitaturum exempla, præsertim illius Alberti Pij patrui tui: qui illustrißimus Carporum olim princeps, propter egregias eius virtutes, & multiplicem ingenuarum artiũ doctrinam: quas apprimè callebat: apud probos, omnesq; sapientes famam sibi fuit adeptus adeo perennem: vt terra potius stellas sit latura, & cælum aratro scindendum: q̃ illa vnq̃ aliqua ex parte peritura sit. Verũ non parum lætor quòd ea: quã tunc de te cõcæperam: me non fefellerit opinio: Nam laudatißimos parentes tuos non solum es imitatus: sed eos etiam superasse videris: quum ob excelsa tua merita & virtutes non exiguas ad tam sublimem gradum, ac dignitatem à pontifice summo fueris assumptus: Qui tuã syncerã fidem, singularẽ prudentiã, exactissimum iudicium, facundiamque mirabilem in te prospiciens tibi etiã Anconitanæ prouinciæ honorificam donauit legationem.

Ciuitas

Ciuitas nanque in monte posita non potest (vt inquit dominus) abscõdi: quæ quum sit in propatulo ex facili à cunctis transeuntibus circunspicitur. Sic prælati in monte dignitatis constituti, qui quasi scopus positi sunt ad sagittam, vitam, & mores suos abscondere nequeunt, quin ab omnibus noscantur. Si enim illi malè viuãt: tot mortibus digni sunt (vt diuus Gregorius inquit) quot ad subditos perditionis exempla transmittunt. Cæterùm boni pastores, qualẽ te esse candida fama prædicat (æquißime præsul) tot sibi apud Deum acquirunt merita, præmiáque, quot homines sua irreprehensibili vita, & optima conuersatione inuitãt ad imitãdũ sua sancta vestigia, prout tu: de quo venerabilis frater Ludouicus munerius, religiosus Dominicanus & sacræ theologiæ ꝓfessor nobis retulit auditu dignißima iucũdissimaq;: ĩter autẽ multa, quæ ipse in aula tua per longũ tẽporis curriculum degẽdo notauit, hoc primùm refert, quòd scilicet tu non minus contemplatiua vita dele-

ctaris, quàm actiua, illum ſapientiſſimum, ſanctiſſimúmque Moſen imitatus. Qui ſæpiſſimè contemplationis aſcẽdebat montem, vt ibi hauriendo cœleſtia perdiſceret quo nã modo ſe & alios eſſet recturus, Dein ad actiuam deſcendens ſubditis prudentiſſimè conſulebat, eorũque cauſas mira iudicabat æquitate. Itaque tu in iſta ampliſſima prouintia, cui honorificè præſides, ſummi iudicis locum tenẽs, ante omnia ſublime, amæniſſimumque ſanctarum ſcripturarum, & ſacrarum legũ ſcandis viridariũ, ſuauiolẽtia quarum & dulciſſimo guſtu tuũ perſpicax ingeniũ refocillatur, nutritúrq;, quodquidẽ ſic illuſtratũ, & bene munitũ ad periculoſũ actiuæ vitæ exercitiũ magis tutè & audẽter, in quo tu dei timorem, & iuſtitiam præ oculis ſemper habens, ſine qua (vt verè Tullius aſſerit) nihil vtile, nihil honeſtum, nihil laudabile, nihil denique perpetuum eſſe poteſt, litigantiũ patienter audis cauſas, nulla commotus ira, cum qua nil rectè, nilque conſideratè fieri valet, nec vllo ex auaritia cor-

ruptus

ruptus munere, qua nullum tetrius est vitium præsertim in iudicantibus, prudenti dexteritate æquum ab iniquo separas; licitúmque ab illicito discernis, vnicuique quod suum est, iustissimè tribuendo. In instrumēto veteri legimus, quòd in sancta fœderis Archa scriptæ tabulæ cum virga seruabantur & māna, Sic in tuo, vt in quocūque cuiuslibet optimi pastoris ecclesiæ militātis pectore seruatur diuinæ legis scientia, quæ per illas tabulas erat significata: & virga iustæ districtionis: qua nequā homines, & in malo pertinaces seueriter plectūtur, Manna quoque dulcedinis & misericordiæ: qua cōuersi ad cor: misericorditer suscipiūtur, & probi omnes dulciter fouētur: Quilibet ergo ex tuis præsertim subditis id quod Propheta cātat, tibi meritò dicere potest. Virga tua & baculus tuus, ipsa me cōsolata sunt: quum sit in te consolatio baculi: quæ sustentat, Sit itaque amor: sed non emolliens, Sit rigor, sed nō exasperans, Sit zelus, sed non immoderatè seuiens, Sit pietas, sed nō plus: quàm expediat

parcens. Qum ob rem omnes isti prouinciales te tanquã communem & amãtißimum ipsius prouinciæ patrem colunt, amant, & reuerentur.

Alterum est: quod ab illo probißimo religioso lubenter audiuimus: quòd scilicet liberalis es, non in ioculatores, mimos & histriones: quibus res suas donare (vt) August. ait) non virtus est immò vitiũ immane: Sed erga gratos amicos, vel probos pauperes, aut bonarum literũ studiosos: tua paßim ob hoc non parum cõmendatur munificentia: quam præfatus Dominicanus vbique prædicat se expertum fuisse, quando sibi Bononiæ studenti, amore Dei largam tuæ liberalitatis manum lubenter aperuisti: qui nobis etiam retulit te quotidie multos in aula tua nutrire pauperes: quibus eo tempore, quo discumbunt, tu ministras in propria, tanquam seruias Domino: Qui dixit: Quod vni ex minimis meis fecistis: mihi fecistis. Quum pauperes ideo Dominum repræsentent. Sanctißimus ille Ioannes quondam Alexãdrinus

patriar-

patriarcha (vt Leõtius episcopus neapoleos Cyprorũ insulæ vitã ei' scribẽdo refert) pauperes adeo colebat: vt eos appellaret dominos suos, dicens suis œconomis. Ite per totam ciuitatem, & dominos meos ad vnũ vsque mihi conscribite: Illis autem non intelligentibus, & cum admiratione petentibus qui nam essent ipsius patriarchæ Domini, respõdit ille: Quos egenos & mendicos vos vocatis: hos ego dominos & auxiliatores nostros esse prædico: Ipsi enim nobis verè & auxiliari, & cælorum regnum donare poterunt. Hoc itaq; dicebat hic optimus patriarcha: quia quod amore Domini fit pauperibus: id affirmat ipse sibi fieri: Qui & illis hanc ob causam benefacientibus æternam vitam se donaturum pollicetur dicẽs: Centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis.

Insuper audiuimus quòd tu animaduertens quàm diuinæ maiestati sit grata presertim in sacerdote castitatis pulcherrima virtus, adeo, vt (diuo Gregorio teste) bonũ opus apud Deum nihil reputetur sine castitate: quicquid illi contrarium esse arbitraris, tua

tretam aque per diem, sicq; contenti manentes, dignè sacrificium dijs suis offerebant. Si ethnici & homines monstruosi a veræ fidei, ac religionis cultu penitus alieni, vanos eorũ deos tanta colunt pietate, tantaq; vitæ sanctimonia: quanto magis nos qui veri & cũcti potentis Dei cultores sumus: omnem mẽtis habere debemus sanctitudinem, Cordis puritatem, Carnis castitatem, oris veritatẽ, Operis strenuitatem, Victus sobrietatem, Gestus maturitatem, Vestium humilitatem & totius vitæ honestatẽ, vt sic Deo nostro seruientes, illi placere valeamus Qui cunctas mortalium actiones districtè trutinaturus opportuno tempore vnicuiq; secundum opera sua redditurus est præmium siue pœnam.

Quamuis in militanti Ecclesia sint innumeri sacerdotes, ex his tamen pauci sunt Deo sacro sanctæ Eucharistiæ sacrificium ex charitate offerentes: inter quos illi lubentius, & crebrius, ac magis syncero id offerunt corde: qui hoc singulari castitatis munere

nere

nere gaudent: quo quidem nil ipsi Domino gratius offerri posset: cui tu in cunctis placere cupiēs: ne maiestatis eius aliquo modo esse videaris ingratus, pro tot & tantis tibi beneficijs sua liberalitate collatis ter in hebdomada (vt percæpim⁹) licet publicis negocijs commune bonum sæpius vacare te cogat, omnibus tamen post habitis, sacrificium diuino numini pia mente lubenter offers: Quam ob rem apud ipsum & homines eo magis es cõmendandus: quo pauciores, etiã tuæ professionis hoc faciunt.

Tibi igitur tali & tãto præsuli hoc opusculũ de veneratione & ĩuocatiõe Sãctorũ: quod aduersus Erasmũ & lutheranos diuorũ osores numine diuino fauente nuper ædidim⁹: tibi inquã cẽsuim⁹ dedicandũ. Qui noua & falsa istorum dogmata veluti pestilens virus, ac exitiale venenũ semper execratus es. At quamuis multi fideles, probi & doctissimi viri. Sanctorum cultum acerrimè tutantes. in istos hæreticos egregiè scripserint præcipuè sapientissimus patruus tu⁹:

aurea

aurea cuius opera inter alia illorum: qui calamum strinxerunt in batauũ, dirumq; lutherum: tantum eminent, quantum lenta solent inter viburna cupressi. Nos tamen animaduertentes quòd quantò plures contra illos scribent: Christicolæ veracẽ sanctæ matris ecclesiæ sententiam de venerãdis orandisque cœlicolis nõ minus firmiter: quàm de omnibus alijs: quæ ipsa semper à sancto spiritu illustrata statuit, obseruantes: eò magis & facilius animari poterunt ad colendum, rogandumque sanctos cõprehẽsores: vt suis precibus sint apud deũ nobis mortalibus adiutores: libellum hunc qualencunque contra supernorum ciuiũ cõtemptores lubenter exarauimus: quem tuæ igitur dicauim⁹ amplissimæ dignitati. Speram⁹ enĩ quòd si tui animi syncera ĩtegritas eũ tuo exactissimo iudicio ꝓbauerit: hoc quidẽ ei nõ exiguam præstabit auctoritatẽ: Qua q eundẽ viderĩt: ad ipsum perlegendũ magis erũt excitati. Fœliciter vale nobilissimũ militãtis ecclesiæ prælatorũ decus, & Christi pauperũ dulce præsidium.

REVE-

Reuerēdi in christo patris & domini, domini Roberti Abrincarum Antistitis præstantissimi, ac sacræ paginæ doctoris celeberrimi ad Antonium Solærium Carpinatē Iuris vtriusque doctorem & Baiocensem Canonicum epistola.



VVM In reliquis alijs bonarum virtutum egregiis ornamentis cunctos Ecclesiastici ordinis viros facilè superes, clarissimorū modestissimè ac modestissimorū clarissime: vna tamen est modestiæ dos insignis, qua non alios tantū, immò verò teipsum mihi superare videris. quin vt aptius aliquid dicam, & illam ipsam vincis, & vinceris ab ipsa. efficit enim, vt quò demissius te geras eò erectior assurgas. Nam & quantò amplius modestiā tuam tegere cupis: eò splēdescit apertius. Quanuis enim ex sapiētum placito: qui verè humilis est: nolit videri humilis sed vilis: non tamen fallit aut fallere potest:

test: qui ait. Qui se humiliat, exaltabitur: Id autem idcirco dixerim, quòd quum nihil in tuis lucubrationibus deprehendere possim, quod non sit ad Ecclesiastici dogmatis incudem percussum, ac religiosissimè pronunciatum. Tu tamen (quæ tua modestia est) fæturam hanc tuam sic tibi non placere ostendis, vt eã cæteris pòstponi facilè permittas. Qua in re, tantùm abest vt tecũ sentiam, vt hac in parte maximè discrepem: in reliquis neq; ad transuersum (quod dicitur) vnguem à te seiunctus. Quum enim omnia, quæ aduersus diuomastiges & iconomastiges aptissimè pronuncias, copiosè congeris, neruosè contorques, nec leui, nec modica commendatione dignissima sint: zelum tamen tuũ non possum non admirari, quo aduersus irreligiosa vaframenta & impia scommata huius veteratoris, quem suis coloribus depingendũ suscepisti, vehemẽter insurgis. Perge igitur, vt cæpisti, & accĩgere gladio tuo super fæmur tuũ potentissime. Futurũ haud dubiè diuini numinis ope confido, vt propter veritatem,

&

& mansuetudinem, & iustitiã deducat te mirabiliter dextera tua. Nihil enĩ est, quod obsistere possit tuis fœlicissimis conatib⁹ etiãsi nonnulla prætexere posse videãtur, qui à parte diuersa stare non erubescunt hominibus magis placere cupientes, quàm Deo. Qui si nec Deum timent, nec homines reuerentur, vt qui prophaua sacris, Ethnica dogmata Christianæ simplicitati præferre non verentur audire saltem debuerant suum, qui illis vnus est instar omnium. sed veræ religionis expertem, latinorum poetarum principem Vergilium ita admonentem.

Infœlix Theseus, Phlegiasque miserrimus omneis
Admonet: & magna testatur voce per vmbras.
Discite iustitiam moniti, & nõ temnere diuos.

Si igitur diuos eos appellat, qui eo nomine prorsus sunt indigni (nam omnes Dij gentium dæmonia: Dominus autẽ est qui cælos fecit) quanto igitur cultu, quanta reuerentia ac veneratione prosequendos dicemus

mus eos, de quibus scriptum est: Iam non dicam vos seruos, sed amicos? Et rursum: Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus, qui in cœlis est? Quis igitur nisi ethnico irreligiosior, æquanimiter ferre possit tot scommatũ puncturis & iaculis obliquè impeti & pungi diuos eos Dei omnipotẽtis amicos, quos iure quodã familiaritatis & amicitiæ nobis venerandos ac religiosè colendos proponat diuini numinis semp̃ suspiciẽda maiestas? Nec causam suã attenuare poterũt histrionicis vaframẽtis assueti immortalium iuxtà ac mortaliũ irrisores ac impostores fallacissimi, ioci alicuiꝰ prætextu, quãdo (vt eis nonnunq̃ euomere concessũ est, nemo enĩ desipit omnibus horis) in diuos iocari nec pium, nec honestum, nec tutum esse potest. Ioci (si quis obrepat) aliunde quàm a diuis petenda est materia. Commendet quoad volet suam ac verè suam Moriã Erasmus: modò ne pietati christianæ fumos offundat, ac religionis teneram synceritatem mordaci offendat aceto. Non enim ludum patitur

fama, fides, oculus. Ecquis tam temerarius erit, qui immortales superos probris lacessere audeat: qui nec vnum quidem è principibus suis, (qui omnes humanis casibus obnoxij sunt) leuiter pulsare auderet, aut quătũuis tectis irritare scommatibus? Nos igitur quum simus mortales, veluti culices, qua fronte audemus immortales irritare elephătos, quos nemo vnquă pulsauit impune? Nihil certè adeo sublime est, supraq; pericula tendit, non sit vt inferius suppositumq; Deo. Nec aliud superest, quàm vt in expuentem cadat, quod in cœlum expuitur. Nemo igitur vetet hui⁹ impietatis authores dici Lutheranos, quum id fieri permittat Erasmus in responsione ad theologos Parisienses, ita dicẽs: Præterea fingant (si libet) eum qui sic iocatur, esse semilutheranum. Sermo personæ congruit. Et quis ita iocatur, nisi Erasmus? Per eum igitur nobis licebit, non (vt ait) fingere, sed asseueranter pronunciare, hos iocos merum lutheranismum olere. Ibi enim null⁹ fictionis locus est, vbi de impietate constat: nisi forte

si forte in appellatione semilutherani. Non enim hic dimidiatus, sed solidus deprehēditur lutheranismus. Sed neque id releuat, ꝙ multis apologijs suam innocētiam tutari visus est diuorum insectator Erasmus. Neq; enim id satis fuerit, immisso semel veneno, ad inutilia quædam & imbecilla pharmaca recurrere. Nec quid intenderit ipse, tam curandum est, quàm ne plurimi suis lenocinijs inficiantur. Quid enim profuerit, si mille vulneratis vnus tantum euaserit? Sola igitur litura huic morbo mederi poterat. Quā quia plus sexcenties monitus neglexit, (eo diuino iudicio relicto) prouidēdum erat, ne posteritas à pietatis synceritate deficeret. In quam rem te incumbere agnosco vir prudētissime. Quod fœlix, faustum, fortunatumq; sit nostræ reip. christianæ, & cūctis qui eadē professione censentur. Dominus noster Iesus Christus tuum in christiano pectore zelū nobis seruet incolumem.

V enerandum & nobilem virum Magistrum Thomam Cornetium Iurisperitum & Baïocensis Ecclesiæ canonicum dignißimum Antonius Solarius Carpinas eiusdem ædis canonicus, & pontificij cæsareique Iuris doctor minimus plurima impartiri cupit salute.



IBELLVM (venerande mi domine) perlegimus, quem nobis humanitas tua legendum diebus elapsis obtulerat, vt nos, quum Erasmi sit opusculum, si quid fortè inter legendũ reperiremus, quod ab opinione vniuersalis ecclesiæ discreparet, id tangeremus obelo. Multa sanè Desiderij Erasmi Roterodami opera me aliâs lectitasse memini, in quibus nobis semper placuit ornata latinitas, licet sub illa, vtpotè mellita, sæpe venena lateant, quibus imprudentes, vel nonnulli volatilis cerebelli homines noua semper,

cupientes

cupientes, furtim capiũtur, vt hamo pisces. Vetus enim extat adagium, quo dici solet, Sæpe viatorem noua, non vetus orbita fallit. Sed quanuis varia illius dogmata tanquam à communi sentẽtia sanctæ matris Ecclesiæ deuiantia mihi fuerint continuè suspecta, nunquam tamen illa (quum animaduerterem me sacræ Theosophiæ non esse professorem, nec eam callere) in multis esse falsa penitus asserere fui ausus antea quã legissem non pauca doctißimorum theologorum in illum scripta, quibus illi vrgentißimis rationibus & synceris sacræ paginæ testimoniis, ac quamplurimis sanctorũ patrum auctoritatibus multas illius opiniones erroneas à rectoque veritatis tramite funditus delirantes, apertè confutarunt, inter quas hæc est vna vehementer execrabilis, detestandaque, quòd scilicet sancti nec inuocari, nec rogari debent, quare nos rogasti, quòd aduersus illum pro virili vellemus ecclesiæ partes tueri. Licet enim de hac materia multi religiosi & literati viri communem ip-

 sius

ſius eccleſiæ ſententiam defendentes contra Eraſmum & Lutherum, eleganti ſtilo, & doctiſsimè ſcripſerint, quorum calceamenta ſoluere non eſſem dignus, & hæc ſcribendi prouincia, præſertim in re tam ardua, ſit omnino meis humeris impar, tibi tamen in honorem dei, & ſanctorum eius, quantum potui, morem gerere conatus ſum, opus breue conficiendo, quod in duos libellos digeſsi.

Huius

Huius opuſculi liber

primus, in quo rationes & cauſæ adducuntur efficaces, quibus oſtenditur ſanctos, præcipuè comprehenſores, eſſe colẽdos, orandosq́; & friuolis Eraſmi ac Lutheranorum ratiunculis reſpondetur.



VVM Chriſti fideles in hoc inferiori orbe ſanctos cœlicolas ſemper coluerint, eos humiliter & religioſè rogantes, vt pro eis apud omnipotentem deum pij ſint interceſſores, Eraſmus iſte glorioſus, ſibique nimium ſapiens, ipſos cœleſtes aulicos non eſſe colẽdos adeò ſcribere nõ erubuit, vt illorum cultores pluribus in locis aliquãdo carptim, arrepta quacunque occaſione, nonnunquam prolixiori oratione derideat: vt in eo patet libro quẽ Enchiridiõ Chriſtiani militis appellat: necnon in quibuſdã ſuis familiaribus colloquiis: in hoc quoq; libello nobis à te nuper exhibito, ſolũ deum eſſe orandũ, ſpretis omnibus ſanctis, ſat oſtendit, quum diuerſis eum repleuerit precationibus, quas variis tẽporibus variisq; caſibus, modò ad patrẽ, modò ad fi-

lium, modo ad ſpiritũ ſanctum ſemper duntaxat direxit, & pulchrè quidẽ. In eo nanque plura continẽtur digniſsima lectu. abſit enim quòd ipſum de opere bono lapidare velimus, ſed id vulpina feciſſe videtur intẽtione, vt ſcilicet oſtenderet ſolũ deum (cunctis ſanctis ſecluſis) eſſe ſemper orandũ: quum nullam ibi ſanctorum vnquam faciat inuocationem. Immo in ea deprecatione, quam tempore peſtis fieri docuit, diuorum nomina tunc inuocantes taxare non veretur, dicens. Qui in hac vita ſpei ſuæ fixerunt anchorã, in huiuſmodi periculis confugiũt ad exquiſita antidota, nonnulli ad certa diuorũ nomina, puta Rochi, aut Antonij: quidam ad ſuperſtitioſas magorum artes. nos nihil arbitramur tutius, quàm ad te ipſum deum confugere.

Antea verò in ſuo Enchiridio cũ quodam contẽptu de beato Rocho ſic ſcripſerat. Alius Rochum quendam adorat, ſed cur? Quòd illum credat peſtem à corpore depellere. Alius Barbaræ aut Georgio quaſdam preculas admurmurat, ne in manus hoſtium

veniat.

ueniat. De diua Barbara in libello quem de interdicto esu carniũ, deque similibus hominum cõstitutionibus inscripsit, iam mentionem fecerat satis impudẽter & irreuerenter, arbitrans quòd fortè sit aliquis episcop⁹, qui quũ olim habuerit in deliciis puellã nomine Barbaram: hac gratia velit Barbaræ diem esse feriatum. & in colloquio quod inscribitur naufragium, derisoriè quẽdam introducit, alterum interrogantem, an imminẽte maris periculo tunc implorauerit alicuius diui præsidium? Respondet ille, ne id quidem. Quam ob rem autem? quia spaciosum est cœlum. Si cui diuorum commendauero salutem meam, puta Petro, qui fortasse prius audiet, quòd adest ostio, priusquam ille conueniat deum, priusquã exponat causam, ego iam periero. Quid igitur tu? Rectà adibam ipsum patrem, dicens, Pater noster. Nemo diuorum eo citius audit, aut liberius donat quod petitur. Hæc ibi.

Ex his non est qui nõ videat quòd Erasmus iste versutus quacunque nititur arte

Christicolis

Christicolis persuadere ne sanctos inuocent, vt Deũ pro illis orẽt. Qui quatenus in præfata oratione dixit, eos in hac vita spei suæ fixisse anchoram, qui in huiusmodi periculis confugiunt ad exquisita antidota: quem putat tam temerarium, vt in hac vita mortali adeò figat spem suam, quò speret in ea se semper esse mansurum, quum quotidie cernantur homines cuiuscunque ordinis, status, & conditionis ex hoc passim migrare seculo? vnde Psalmograph⁹ inquit, Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortẽ? Si quis autem ægrotans, vel in pestilentiæ periculis se fortè reperiens, saluberrimis vtendo medicinis, cum dei gratia speret, quòd incolumis tãdem seruabitur, & diutius viuet: quid mali facit iste? quare taxandus est? An quia spretis medicinis ad solũ deũ non confugit? Nonne in Ecclesiastici libro, capite octauo & trigesimo scriptũ relinquitur, Honora medicum propter necessitatẽ? Altissimus creauit de terra medicinam: vir prudens non abhorrebit illam. Vir igitur

prudens, cui periculum pestis immineat, aut qui ab aduersa vexetur valetudine: salutarem medicinam non debet exhorrere nec aspernari. Nam si quis habeat expertum medicinæ remedium, quo liberari valeat à morbo, vel præseruari ab imminenti periculo, et illud spernat, deo se committendo, vt eum liberet: iste videtur deum tentare: id quod prohibetur a diuina lege: Scribitur enim Deuteronomij sexto capite: Non tentabis dominum deum tuum. Ille verò deum tentat, qui habens quod faciat: sine necessaria vel rationabili causa se periculo committit, experiri volens an à deo solum liberari possit: vel an deus eum liberare velit. Habramus autem patriarcha nobis fuit exemplo: cui quum immineret periculum, noluit tentare deum: sed fecit quod potuit: quod non potuit, deo commisit, in quem sperauit. Itaque nemo (vt diuus Augustinus edocet) tentare debet deum, dum habet quod rationabili con-

silio

filio faciat. Illi ergo qui tempore pestis super omnia sperãtes in domino, seq; humiliter ei⁹ misericordiæ cõmendantes, etiam exquisitis antidotis seu medicinis vti non prætermittunt vt euadãt periculũ, vel efficiãtur incolumes: lõge tutius facere videntur, quã qui tũc (humana ope spreta) soli deo se cõmittũt. Et quanuis illud quis de diua Agathe forsan obijciat: quòd scilicet dũ illa esset in carcere habens mamillam ab impio carnifice crudeli vulnere tortam, Petrus apostolus illuc statim accessit chirurgi personam agens, & ei dixit se mamillam eius curaturum, cui ipsa assentire noluit dicẽs, Carnalẽ medicinã corpori meo nunquàm adhibui: Habeo enim saluatorem dominum Iesum Christum, qui verbo curat omnia, & solo sermone restaurat vniuersa: hoc tamen exemplo non est nobis persuadendum quòd (humano suffragio funditus spreto) in infirmitate vel periculo velimus nos soli cõmittere deo. Nã beata Agatha (vt sanctus Antoninus in parte secunda suæ summæ respõdet) iam erga

ga se dei sæpius experta fuerat beniuolentiã & gratiam, qua nullas patiebatur ægrotationes, quibus vlla indigeret medicina, vel in se diuinæ sanitatis mox sentiebat effectum: Ea enim quæ alicui cõcedũtur speciali principis priuilegio, tanquam a iure communi exorbitantia, ad alios passim non extenduntur.

Arbitratur insuper malignus iste diuorum contẽptor, quòd & hi in hac vita, spei suæ fixerint anchoram, qui in huiusmodi periculis ad certa diuorum nomina, puta Rochi, aut Antonij confugiunt. Sed cur istos qui ad sanctorum nomina recurrunt, vult in hac mortali vita spem firmiter collocasse, sicut & illos, qui ad exquisita antidota vel ad superstitiosas magorum artes refugiũ in huiusmodi periculis habent? nisi quòd ita sanctorum suffragia, sicut antidotorum, vel magicarũ artium remedia iudicat vitæ huius esse præsidia, in quibus nõnulli mortalium firmiter sperant? Itaque tria hæc pari sententia notat, tanquã velit inferre, quòd

sicut

ſicut antidota in hac vita, licet exactè confecta, artesque præſertim Magicæ, ita & ſanctorum inuocationes ſæpe fallunt in illis confidentes. Quomodo autem ad diuorum nomina in periculis confugere dicũtur? Nimirum quando clamant, puta, Sancte Antoni, Sancte Roche, orate pro nobis. Hi nẽpè ſic orantes, non in huius vitæ ſubſidio, ſed in deo ſe firmiter ſperare demonſtrant: quum requirunt eius auxilium per interceßionem ſanctorum: quos etiam ſic honorari vult à mortalibus illa diuina & immẽſa bonitas: cui preces adeò gratæ ſunt, quæ per ſuos ſanctos ipſi deferuntur, vt illorũ opera & precibus, eis ſæpe dona concedat, pro quibus orarunt: quæ aliter quandoque non concederet: vt in libro Iob capite nouißimo conſtat, vbi legitur, quòd Dominus dixit ad Eliphantem. Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos: quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſeruus meus Iob: Ite ad ſeruum meũ Iob: & offerte pro vobis holocauſtum: Iob autem ſeruus meus orabit

pro vobis: faciem eius suscipiam: vt non imputetur vobis stultitia. Quod cũ secũdũ domini præceptum illi fecissent, suscepit dominus faciem Iob, quum oraret ille pro amicis suis.

Narratur itidem in libro Geneseos capite vigesimo de Abimelech rege Geraris: quẽ quũ increpasset dominus ob sublatã Sarrã vxorem Abrahæ, subiunxit: Nũc igitur redde vxorem viro suo: & orabit pro te, & viues. Quod cum incũctanter diuino obtemperans verbo fecisset Abimelech, orãte Abrahã pro eo, & ei⁹ domo, sanauit dominus vxorem illius & ancillas: quæ ob raptam Sarrã factæ fuerant steriles, vt ibi sacra refert historia. In Exodo quoque legim⁹ Pharaonẽ Aegypti regẽ grãuib⁹ plagis à deo afflictum rogasse Mosen, quòd oraret deũ, vt plagas illas amoueret. tunc Mose viro dei non semel orante, dominus ad preces eius regem ipsum et eius regnum ab illa plagarum afflictione penitus liberauit. Moses placaturus faciem domini populo Israeli-

raelitico indignati ob vitulum conflatilem, pro illo non orauit incassum dicens: Quiescat domine ira tua, et esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham Isaac et Iacob seruorũ tuorum. & post pauca ibi dicitur. Placatus factus est dominus, vt in Exodo capite trigesimo.2. continetur. Moses itidẽ, quum Maria eius soror a domino lepra fuisset percussa, quòd contra fratrem murmurauerat, illam suis obtinuit precibus deniquè liberari, vt Numeri 12. capite scribitur. Samuel ab Israëlitis rogatus, vt pro eis oraret dominum, ne morerentur propter peccatum, quod perpetrasse putabant, quia sibi petierant regem, tunc respondit illis, Absit autem à me hoc peccatũ, vt cessem orare pro uobis. Sic in.1. Regũ capite.12. scriptum fuisse constat. Si preces, quas Samuel ipse propheta sanctißimus pro populo fundebat aßidue, nihil illi profuissent, frustra profecto (vt naturalis dictat ratio) laborare noluisset, sed vidẽs ille, quòd dominus ex sua benigna gratia lubenter eius orationes exaudire

dire dignabatur, multa ob hoc ipsi populo beneficia conferendo, pro illo non cessabat orare: Coram quo sic voluit diuina benignitas honorare seruum suũ: Cui magnam quoque contulit sapientiam: quá tantam hominum multitudinem mira prudẽtia, æquitate, & iustitia dudum sapientissimè rexit.

In nouò etiam testamento Lucæ 4 capite legitur quòd Iesus intrauit domum Symonis: cuius socrus magnis tenebatur febribus. Discipuli uerò eius ipsum rogauerunt pro ea: tunc imperauit febri vt abiret: & illico mulier reconualuit. In Euangelio Matthæi capite 16. dicitur: quòd quũ mulier Cananæa clamitaret post dominũ: miserere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur nullũ vnquã ei respõdit verbũ: nisi donec ei⁹ discipuli pro illa rogauerĩt. Lucæ itidẽ 7. capite scribitur, Centuriõnẽ, quũ sibi seru⁹ esset ægrotans ad mortem vsq;, misisse seniores Iudæorũ, vt Iesum precarẽtur quòd illum veniret sanatũ. Nec id verũ est quod quidã lutheran⁹ inquit: videlicet Cen-

turionem exauditũ fuisse solùm propter eius fidem, & non ob Iudæorum precationem, quia dominus dixit illi; Vade: & sicut credidisti, fiat tibi: vt continetur in euangelio Marci 8. capite. Nam, vt in euãgelio Lucæ liquet, Iudæi prius Iesum pro illo rogauerãt, vt veniret ad sanandum illius puerum, dicẽtes, Quia dignus est vt hoc illi præstes, diligit enim gentem nostram, & synagogam nobis ædificauit: tunc ipse dominus descendit cum illis, vt iret ad sanandum illum. Ex hoc bene arguitur, quòd eorum preces exaudiuerat, ex quo posteaquàm eũ rogauerant, hanc ob causam cum illis ibat. Sed interim Cẽturionis amici Christo venerũt obuiam, illius nomine sibi dicentes, Domine noli vexari; Non enim sum dignus, vt intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Itaque puer ille et Cẽturionis fide, & seniorum prece ab ipso domino fuit sanatus. Nil enim a Christo sanctorum impetrarent preces, nisi ipsorum orantium concurreret fides: qua credant dominum

nũ id posse, & velle sanctorũ precibus quod illi pro eis petunt, concedere. Apostolus itidem ad Romanos. 10. capite, & ad Ephesios. 6. scribens inquit. Testis est mihi deus quòd sine intermissione memoriã vestri semper facio in orationibus meis. Et in. 2 epistola ad Thessalonicenses scripsit dicens. De cætero fratres, orate pro nobis, vt liberemur ab importunis & malis hominibus. Nonne Stephanus orauit pro lapidantibus eum? vt in Actibus apostolorum patet capite. 27. Ibidem etiam. 28. dicitur quòd quum pater Publij principis insulæ Mitylenes febribus & dysenteria vexatus iaceret, ad eũ Paulus intrauit: & quum orasset, & imposuisset manũ, sanauit eũ. Ex his itaq; patet exẽplis, quòd sæpe domin⁹ sanctos etiã viatores pro illis citi⁹ exaudit, ꝓ quib⁹ orant, q̃ si illimet rectá ipsũ adirẽt: vt ostẽdat quantũ suæ placeat maiestati suos amicos etiã corã mortalib⁹ & huius mũdi principibus honorare.

At Vigilãtius, Iouinianus & Eunomi⁹ hæretici, quorũ vestigia Erasmus iste vide-

tur imitari: non negant ſanctos, quãdiu hac veſcũtur aura, pro aliis quidem orare poſſe, ſed poſteaquã ſemel ex hoc migrauerint ſeculo, licet in cœleſtẽ tranſlati ſint patriam, nolunt vt ampli⁹ pro aliquo deũ rogare poſſint, quòd forſan à nobis nimis diſtantes noſtras neceſſitates nequeant ſcire, nec noſtras preces audire, vel quia, quum ſint in tam ſublimi fœlicitate, non ſinat tanta proſperitas illos mortalium memores eſſe. Verum beatus Hieronymus & multi alij doctores ſapientisſimi ſanctisſimique, iſtorum hæreticorum fatuæ & erroneæ opinioni reſpõdent multis rationibus, & vtriuſque teſtamẽti auctoritatib⁹, quàm falſa ſit, oſtendentes. Et primo. Nam dixit dominus Hieremiæ. Si ſteterint Moſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populũ iſtũ, vt cõtinetur in ei⁹ libro capite. I. Illi enim duo ſancti viri iam diu ab hac diſceſſerant vita quando dominus illa Hieremiæ protulit verba, quibus ipſe ſic Hieremiã alloquendo hoc dicere voluit, videlicet, Si Moſes & Samuel tui prædeceſ-

ſores

ſores, & te maiores, orarẽt ꝑ iſto populo: eos nõ audirem, quãto minꝰ te audiã? Ex his igitur verbis domini bene arguitur, ꝙ ſancti, licet ab hoc mundo receſſerint, tamẽ pro nobis orare poſſunt, & conſueuerũt: quia ſi orare ſoliti nõ eſſent, nec poſſent (nempe ſancti) ineptiſſimum & valde incõueniens (quod abſit) fuiſſet hoc eius dictum, videlicet. Si Moſes & Samuel ſteterint coram me pro iſto populo, &c. Ac ſi dixiſſet, Si lapides orarẽt, non audirem, nec te audiã. quod nullatenus cogitandũ eſt, dominũ ſ. tã inepta locutione vti voluiſſe, ſi illi ſancti patres tunc in placido Abrahæ ſinu quieſcẽtes pro aliquo nunquã oraſſent, nec orare valuiſſent. Ex illis ergo verbis dominus inſinuauit apertè, illos ſanctos, quãuis nondum in empyreo cœlo locatos, ibi tamen in illo animarũ receptaculo pro aliis orare potuiſſe, aut id facere fuiſſe ſolitos, ſed quòd tunc eos pro illo populo rogantes non exaudiret.

Præterea in. 2. Machabæorum libro capite nouiſſimo narratur quòd Iudas Macha-

bæus contra suos hostes certaturus, suis militibus exposuit somnium fide dignum, quòd s. Oniam, qui, dũ viueret, summus fuerat sacerdos, viderat protẽsis manibus orare pro omni populo Iudæorũ. Referebat etiã post hunc apparuisse alterum ætate & gloria mirabilẽ, de quo dixit Onias ipsi Machabæo, Hic est q̃ multũ orat ꝓ populo, & vniuersa sancta ciuitate, Hieremias ꝓpheta dei. Tunc Hieremias extendens dexterã dedit Iudæ gladiũ aureũ dicẽs, Accipe sanctũ gladiũ mun⁹ à deo, in quo deijcies aduersarios populi mei. id quod rei probauit exit⁹. Nam paulò pòst Iudas aduersus Nicanorẽ & eius exercitũ pugnãdo, illũ ac triginta quinq; millia hostiũ prostrauit, ꝓsperãq; obtinuit victoriã. Ex hac ideo instrumẽti veteris historia probatur sanctos ab hac etiã corporali massa separatos ꝓ nobis orare, & eos à deo exaudiri. Quid ad hæc impij respondẽt hæretici? Quòd sunt somnia, nec de Hebræorũ canone exerpta, quib⁹ idcirco nõ est fides adhibenda, iuxta illud Catonis dictum.


ctum. Somnia ne cures. Hæc non parum calumniosa responsio à catholicis facillimè refellitur. Ea certè somnia sunt contemnenda, quæ (vt beatus Gregorius in suis moralibus edocet) quandoq; contingunt ex nimia ventris repletione, vel inanitate, aliquãdo etiam ab occulto hoste per illusionem fiunt: & de his sapiens intellexit Salomon dicens, Multos errare fecerũt somnia, & illusiones vanæ, quæ quum etiam ex præcedẽti cogitatione, sicut ex illusione procedant, floccipẽdi debent: de quibus idem Salomon ait, Multas curas sequũtur somnia. Illa verò quæ ex dei vel sanctorum reuelatione proueniunt, minimè spernenda sunt, qualia fuerunt & Iacob & Ioseph somnia, & illud sponsi beatæ virginis, quando fuit in somnis ab Angelo verè monitus, vt tolleret puerum cum Maria matre, & fugeret in Aegyptum. Hoc similiter Iudæ Machabæi somnium fuit verissimum. Nam ibi dicitur fuisse somnium fide dignũ, cuius veritatem victoriæ statim monstrauit euentus. Nec curãda

ſunt illius Lutherani verba dicentis, ſomniū illud Iudæ nihil aliud habere, niſi quòd per ipſum indicauit Deus ſe victoriam daturū populo Iudæorū. Nos quidem fatemur Deū hoc indicaſſe, ſed per Hieremiam verè apparentem Iudæ, & orantem pro populo: cui, orationem eius à deo fuiſſe exauditam, tunc indicauit, quādo illi gladium porrigens dixit: Accipe gladiū ſanctum munus à deo, in quo deijcies aduerſarios populi mei. Nec etiā ad Rhombum pertinet ſomnium cuiuſdā Madianitæ, quod idē Lutheranus adducit. Hic enim Madianita (vt habetur Iudicum capite. 7.) narrauit alteri ſe ſomniaſſe, videre ſubcinericium panem ex hordeo volui & deſcēdere in caſtra Madianitarū &c. Illud enim ſomnium fuit ænigmaticum, non id reuera faciens quod illi oſtendebatur ſomnianti, ſed aliud obſcurè ſignificās: Vnde is, cui ſomnium narrabatur, mox reſpondit illuminatus à deo. Non eſt hoc aliud, quàm gladius Gedeonis filij Ioas viri Iſraelitæ. Id genus ſomnia nonnunquàm di-

uerſis

uersis hominibus (vt sacra pagina commemorat) se repræsentarũt, qualia fuere somnia Pharaonis & Pincernæ: quæ aliud denotantia, quàm ostenderẽt, adeò erãt obscura, vt nec ipse Ioseph illa interpretari sciuisset, nisi à superno lumine fuisset illustratus. Sed Iudæ Machabæi somniũ ab huiusmodi somniis fuit valde diuersum, in quo non per ænigmata, sed clarè vidit & audiuit Oniam sacerdotem pro populo precantem, sibique dicentẽ, Hic est Hieremias propheta dei: qui multum orat pro populo &c. Sicut etiam tres Magi Angelum in somnis eos monentem ne redirent ad Herodem, & Ioseph eundem referentem ei, ne timeret accipere Mariam coniugem suam: diuina reuelatione viderunt illum esse angelũ, qui eos alloquebatur in somnis: & quæ tunc sibi dicebat, non esse falsa, sed vera intellexere. Si Machabæorũ libri nõ sunt de Hebræorum canone, ob hoc non sequitur, quòd eis fidem non debeamus adhibere, quũ (vt ibi in prologo scriptum est) ab Ecclesia inter diuino-

rum



rum voluminum annotentur historias, & illi ab ipsa verè approbati in diuinis officiis legendi admittantur, vt in decretis Canonicis distinctione decimaquinta notatur in Canone, Sancta Romana Ecclesia, sub versiculo, Caterũ. Quatenus igitur illos Ecclesia magistra & mater nostra recipit vt canonicos & veraces, nos eius filij erimúsne tã audaces & temerarij, vt irrefragabilem nostræ matris auctoritatẽ impudenter spernamus? Quæ tanta est, vt beatus Augustinus ipsius Ecclesiæ doctor eminentißimus dicere non ambigat libro vndecimo contra Faustũ, Euangelio nõ crederem, si me auctoritas catholicæ & Romanæ Ecclesiæ non commoneret. Respondeant (quæso) isti cornuti & arrogantes hæretici, an Euãgelia Matthæi, Lucæ, Marci, & Ioannis, sint de Hebræorum canone? Respondebunt (arbitror) minimè. De canone cuius igitur existunt? An canonica sint? An illi quatuor sancti viri illa scripserint, quomodo ipsi norunt? vel si

ea scripserint, quo spiritu? An suo, an potius dictante spiritu sancto? De his omnibus quis eos certiores reddidit? Quis illa vtpote canonica & verissima monuit & mandauit recipi ac obseruari, nisi sancta mater Ecclesia? Licet enim multi Euangelia scripserint, non tamen fuerunt recepta, sed solùm hi quatuor euangelistæ habent auctoritatis testimonium. Ita dicitur in prologo, qui situatus est in principio libri Euangeliorum. Nos autem quærimus à quo illa non fuerunt recepta? A quo isti solùm quatuor Euangelistæ receperunt auctoritatis & veritatis testimoniũ? Hi nostri aduersarij (vt puto) respondebunt, à deo. Sed quis eos instruxit quòd à deo isti poti⁹ ad hoc munus fuerint admissi & approbati, quàm alij? Nimirum Ecclesia, quæ à sancto spiritu recta & illustrata hos duntaxat admisit, eorumque Euangelia obseruanda passim ea iussit auctoritate, quæ à Christo sibi fuit donata: cui si in hoc credimus, prout cre

dere

dere, & ei parere tenemur: cur & in aliis illi credere non debemus, veluti quum ipsa iudicet etiam libros Machabæorũ tanquam canonicos, & veritatem cõtinentes, esse admittendos? Sic & sacra Concilia ritè & rectè celebrata obseruari monet & præcipit sancta mater Ecclesia. Quæ tamen omnia susque deque faciunt Lutherani, sanctissimæ matri Ecclesiæ rebelles, & contumaces filij, qui ob id etiam reputari debent velut Ethnici & publicani, quũ dicat Dominus, Si Ecclesiã non audierit: sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus. Prætereà Prophetes in Psalmo. 31. alloquẽs dominum ait: Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno. Pro hac. s. hominum iniustitia remittenda, vel abolenda pœna pro ea debita, ad te domine orabit omnis sanctus. Quum autem dicit omnem sanctum oraturum, nullũ excludit sanctum: ergo & cœlestis patriæ sanctũ comprehendit, quòd scilicet etiam cœlicolæ pro peccatis hominũ hic degentium remittendis deum orant, & orabunt

bunt tempore opportuno, id est, hac temporali mortalium durante vita, qua post vniuersale iudicium finita, nullũ amplius erit orandi tempus, sed solũ tunc illam sanctam & indiuiduam trinitatẽ iugiter adorabunt & laudabunt sancti omnes, semper illi gratias agentes. Adde quòd etiã Diuus Ioannes scripsit in Apocalypsi se vidisse in spiritu vigintiquatuor seniores corã agno, singulos habentes citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum: quæ sunt orationes sanctorum. Sed quorum sanctorum? Nimirũ comprehensorum. Sicut enim nominãdo prophetam, solum Dauidem, & dicendo Apostolum, per excellentiam solummodo Paulum intelligimus: ita sanctorum appellatione per antonomasiam duntaxat veniunt sancti comprehensores, qui penitus mundi, & purificati, ab omni obseruatione inuiolati, firmiterque in dei gratia solidati, perẽniter in cœlo gaudentes diuina semper fruuntur visione, adeò vt nullum eis amplius immineat peccandi periculum, nec aliquod aliud

malum

malum patiendi: id quod de aliquo viuente hoc in seculo interim dici nõ potest. Hic ideo sanct⁹ verè & propriè nũcupari valet nemo. Quare id verißimum esse comprobatur, quod ille quondam cecinit vates,

Sed scilicet vltima semper
Expectanda dies homini est, dicique beatus
Ante obitũ nemo, supremaq; funera debet.

Illa igitur odoramenta sunt supernorum ciuium orationes, illi agno innocentißimo, Iesu Christo scilicet, deo & homini vero, longè gratiores, quàm quicunque boni odores mortalium naribus delectabiles, & quàm viatorum orationes: quorum nemo (vt dici solet) sine crimine viuit. Quæ quidem odoramenta ipsi coram eo pro fidelium salute ab aureis effundunt phialis, id est, à suis voluntatibus syncerißimis, & aurea charitate decoratis: quibus nobis omne bonum volunt cupiuntq;: quod saluti nostræ sit proficuum, semper rogando dominum, pro his præsertim, qui suis se commendant orationibus. Nec dicant isti, superbè nimis sanctorum

laudibus

laudibus detrahere præsumentes, eos audire nos non posse, quòd à nobis sunt valde distantes: quum nulla locorum distantia vllatenus illos impedire valeat, quin in virtute diuini verbi videant audiántque quicquid eorum lætitiæ conueniat, & honori.

Inter alia multa à furibundis sanctorum hostibus obiecta, hoc etiam vnum est, quo sic arguunt: Quum Deus sit omnipotens, summè sapiens, & summè bonus: omnia quæ nostræ saluti expediant & necessaria sint, sua omnipotentia, sapientia, & bonitate potest, scit, & vult donare nobis, quorum est amantißimus: nósque longè maiori prosequitur amore, quàm quicunque sanctus: & ob hoc paratißimus ac propensißimus est ad ea quæ nobis conferunt, largienda: vnde Dominus discipulis suis, & aliis omnibus eum colentibus ait: Amen, amen dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Signanter dixit,

Si

Si quid petieritis patrem. & non si quid petieritis sanctum aliquem. Et in Euangelio Matthæi capite. 6. nos orare docuit. dicens. Sic orabitis. Pater noster qui es in cælis &c. Ergo postpositis omnibus & singulis sanctis ad deum solum accedere, illumq; rogare debemus semper, dicendo, Pater noster &c. Hanc enim dũtaxat orandi formam nobis ipse præfixit. Vnde diuus Cyprianus in libro de dominica oratione dixit. Aliter orare, quàm Christus docuit, non solùm ignorãtia est, sed & culpa. Ex his itaque isti, duo astruere præsumunt. Primum, quòd nosmet deum orare, & non aliquẽ alium sanctum debemus, vt illum pro nobis oret. Alterum est quòd inter orandum nulla alia oratio est proferenda, quàm dominica. Hic nanq; fuit hæreticorum Valdensium error.

At deo dante, ad vnumquodque horum respondebitur. Et primò, si hæc sua procederet ratio, nec etiam orationibus aliquorũ hoc in mundo viuentium cõmendare nos possemus, vt deum pro nobis orarent, verùm nosmet

met eum solum precari deberemus, hanc ob causam, quia est potētißimus, sapiētißimus, optimusq;, & nostri, quàm quæcunq; creatura, longè amantior: idcirco facillimus est ea nobis omnia donare, quæ nosmet rationabiliter ab eo petere vellemus. Hac igitur cōsiderata ratione redarguēdi fuissent Ozias & presbyteri dicētes Iudith, Nūc ergò ora pro nobis dominum, quoniam mulier sancta es, & timens dominū. quibus illa respondit, Et vos orate deum, vt firmum faciat consilium meum: nihilq; aliud fiat, nisi oratio pro me ad dominum. vt habetur Iudith 8. cap. Hester quoque dixit Mardochæo: Vade, & congrega omnes Iudæos quos repereris in Susis, & orate deū pro me. Hester 4. capite. Itidem Paulus apostolus, se fideliū (vt suprà monstratum est) commendabat orationibus. Qui sunt hìc impotentes, si ab inimicis inuasi, tunc ab hominibus illis potētioribus auxilium implorent, hac ratione vtpote insipientes delirant, quoniam solùm ad deum confugere deberent: qui quū sit omniū

mortalium potentissimus, eos citius defenderet, liberaretque. Aegroti quoque mortales medicos spernant, & solum Deum inuocent pro bona valetudine recuperanda: qui est omnipotens, & cunctorum medicorum eminentissimus, adeo vt solum sua voluntas, qua mox aliquem sanare velit, efficacissima sit medicina: qua quis statim sanus efficiatur, quacunque detineatur ægrotatione: vt de leproso recitatur in euãgelio: qui quum dixisset domino, Si vis domine, potes me mundare: tunc ille sibi respondit. Volo, Mundare. & confestim mundatus est. Pauperes insuper & egeni quid diuites huius mũdi toties tam flebiliter rogant, vt suæ subueniant inopiæ, quorum multi quum sint tenaces & auarissimi, illos sæpe surda prætereũt aure? Cur potius soli deo, eum duntaxat orando, se humiliter non commendant, in cuius domo gloria & diuitiæ sunt sine fine? Ille enim sua infinita bonitate, qua benignissimus est, & hominum amantissimus, cuncta necessaria eis affatim suppeditaret. Isti tamen omnes

ad humanum auxilium recurrere non prohibentur, quod sibi prodesse norũt. Sed si terram hanc adhuc habitantes nos apud deum suis precibus adiuuare (id quod aduersarij nostri, vt suprà retulimus, non inficiantur) si nos ab hostibus sua potentia tueri, si arte sua medicinali nos ab ægrotationibus liberare: si suis opibus nostræ paupertati succurrere valent: multo magis illi cœlestes aulici, cunctipotenti deo semper astantes, maiori'q; flagrãtes charitate, ac cunctis mortalibus potentiores, sapientiores, longeque meliores, nobis poterunt opitulari. Quis audet negare Deum per se solum scire & posse cuncta (si vellet) agere, & mox sine labore aliquo perficere? Verùm ex sua immensa bonitate, suã miram liberalitatem rationalibus creaturis ostendere volẽs, suam potentiã sapientiamq; lubẽter illis cõmunicauit, plus vel minus huic & illi, vt suæ lubuit maiestati. En tantũ roboris fortitudinisq; Sansoni donauit, vt ille solus asini mãdibula mille viros occidere sit ausus. Et Delborã vxorem Lappidoth adeò

reddidit sapientē, & prophetiæ spiritu repleuit, ac eam in tanta constituit auctoritate, vt ipsa sola Israelitas omnes iudicaret, ad quam sub palma sedentē in mōte Ephraim, illi ad omne iudicium ascendebant, quibus etiam prædixit victoriam aduersus Sisarā ducem militiæ Iabin regis Canaam, ad bellúmque perrexit cum illis. Hæc enim in libro Iudicum scripta reperiuntur. Quare toties dominus non per se solum, sed per manus diuersorum hominum liberauit populū suum à dura seruitute multorum tyrannorum: sicut quando duce Mose illum eripuit ab intolerabili Pharaonis oppreßione, & per Gedeonem mirabili modo à Madianitarum subiectione. Etiā Holopherne potenti Aßyriorū duce occiso per manum fœminæ, ipsis Hebræis olim victoriā tribuit. Qui licet sine aliquo intermedio hæc omnia & alia quæcunque vellet per se solum optimè posset & sciret: quatenus essent talia, quæ velle posse per se ipsum solum facere, eius cōuenirent potentiæ: tamen (vt videmus) fermè

mè cuncta ordine miro per intermedios operatur. Nónne hoc est perinde ac si per seipsum faceret? cũ iuris regula dicat: Qui per alium facit, per seipsum facere dicitur. Hoc certè magis in eius honorẽ, laudẽ & gloriã redundat, quando ea quæ ipse solus facere scit & potest, aliis facultatẽ peragendi sua singulari & magnifica liberalitate concedit: qui hãc ob causam cum syncerius colere, vberius laudare, & admiranda eius opera prædicare, extollereq; vehementius excitantur. Sed si tantam potestatem, sapiẽtiã, & bonitatem mortalibus impartit, vt mirabiliter poßint, sciant, & velint alios adiuuare mortales: quid istud non dabit cõprehensoribus sanctis, qui in illo empyreo cœlo semper immortalitate perenni gaudentes, ipsius domini familiares sunt & domestici, sibiq; longè gratiores, quàm aliqui orbẽ hũc inferiorem colentes, qui satis aliquid æternũ patrem petere censentur, quum etiam per sanctos cælicolas amantißimos eorum patronos id ab eo petũt? Sic enim quodam pul-

cherrimo diuinæ legis ordine statutum est, vt inferiora per media in deum reducantur, quemadmodum diuus Dionysius *in libro de cœlesti hierarchia testatur. Ex hoc nēpe medio decētissimo illius infinita bonitas & sapiētia magis in cunctos diffusa refulget. Ita enim terrigenæ magnū cōmodū & honorē sancti reportāt nō exiguū deo volēte sua gratiosa bonitate illos mortaliū esse mediatores.*

Ad hæc scribitur Tobiæ 12. capite quòd Raphael angelus dixit illi: Quando tu orabas cum lachrymis, & sepeliebas mortuos: quos (derelicto prandio) abscondebas per diē in domo tua, vt nocte sepelires eos: ego obtuli orationem tuam domino: cui quia acceptus eras, necesse fuit vt tentatio te probaret: nunc ipse me misit, vt curarem te, & Sarram vxorem filij tui à dæmonio liberarem. Ex hac enim auctoritate magis etiam comprobantur ea, quæ suprà retulimus. Nam quum sint cuncta & nuda & aperta ac præsentia deo, quid opus erat, vt angelus ipse maiestati diuinæ illius Tobiæ oratio-

nem

nem offerret? Nec erat necesse eundem angelum ad curandum Tobiam, & ad eius nurum à dæmone liberandam mittere, quoniã deus illico potest hæc omnia facere absque vllo mediatore: & ideo homines ac quascunq; creaturas sine aliquo medio proculdubio custodire potentißimus est. Et tamen sentẽtiarum Magister in secundo, vndecima distinctione, refert bonos angelos ad hominum custodiam esse deputatos ita, vt electorum quisque habeat angelum ad sui profectum atque custodiam specialiter delegatum. Vnde in Euangelio veritas à pusillorum scandalo prohibens ait: Angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui in cælis est. Angelos eorum dicit, quibus ad custodiam deputati sunt. Super quem locum beatus Hieronymus tradit vnamquanque animam ab exordio natiuitatis angelum habere ad sui custodiam deputatum. Hoc quoque diuus Gregorius asserit. Quanuis autem omnes angeli boni nobis bonum velint, communiterque

ſaluti omnium ſtudeant: ille tamen qui deputatus eſt alicui ad cuſtodiam, eũ ſpecialiter hortatur ad bonum: ſicut legitur de angelo Tobiæ, & de angelo Petri in Actibus apoſtolorum. Magiſter hæc ibi. Quibus quidem verbis ex facili comprehenditur deum velle ſanctos eſſe miniſtros & mediatores ad cuſtodiendum & adiuuandũ, quos ipſe cuſtodiri adiuuariq; voluerit in hac vita mortales, licet ipſemet ſine aliquo ĩtermedio id poſſet & ſciret, propter præallegatas rationes. Ille enim prĩceps, qui aliis præeſt, multa per ſe facere poteſt, quæ tamẽ fieri vult à ſeruis vel nunciis ſuis, vt in actionibus ſeu miniſterio ſeruetur decens & congruus ordo.

Vnde cæleſtes ſpiritus in miniſterium diuina diſpoſitione miſsi propter eos (ait Apoſtolus) qui hæreditatem capiunt ſalutis, varia & diuerſa in hoc inferiori orbe miniſteria exercentes, etiam prouinciis, ciuitatibus & regnis præſunt, eaque tuentur: vt ex lectione Danielis prophetæ decimo capite conſtat, vbi angelus alloquen-

quẽdo Danielem refert nonnullos ex ipsis spiritibus esse Græcorum & Persarũ principes: nullum tamen eorum (præter Michaëlem) speciatim nominat, dicẽs, Ecce Michaël vnus de principibus primis venit in adiutorium meum. & in calce illius capitis iterum dicit: Nemo est adiutor meus in omnib⁹ his nisi Michaël princeps vester. In eodem quoque Danielis libro capite. 12. Angelus idẽ ei sic ait. In tẽpore autem illo consurget Michaël princeps magnus, qui stat pro filiis populi tui.

Ex his nanq; liquet Michaëlẽ Archãgelũ principẽ esse potẽtissimũ, qui angelorũ, archãgelorũ & principatuũ suprem⁹ ac primarius existens, Synagogæ veteris testamẽti princeps fuit, rector & custos. Quatenus ideo legitur Exodi .13. quòd quum dominus populum Israël à seruitute Pharaonis liberasset, illumq; in desertũ solitudinis eduxisset: Dominus ipse eum præcedebat ad ostẽdẽdum viã per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis: vt ei dux esset itineris

neris vtroque tempore. Ibi etiam capite 14. ponitur Pharaonē Aegyptiorum regē magno cum exercitu Hebræos vsque ad mare rubrum fuisse persecutum: quod quum Moses virga percussisset, Dominus illud vertit in siccum, & illi per medium sicci maris liberè ac tutè transiuerūt, Aegyptij verò per eandem viam persequētes eos (reuertentibus aquis) in medio maris mox omnes cum rege suo fuere submersi. Ibidē quoque 19. & 20. capite cōtinetur, quòd Dominus Mosen allocutus est, & ei multa dictauit quæ populo dictur⁹ esset, illique in monte Sinai tradidit præcepta decalogi ab ipso populo vsq; quaque diligenter obseruanda. hæc omnia & alia multa mirāda quæ fecit ibi & dixit Dominus, non ab ipsò domino in propria essentia, sed per angelum vice domini dicta factaq; fuere. Ita beatus Augustinus affirmat libro tertio de trinitate cap. 11. ibi asserens essentiā trinitatis nunquā oculis apparuisse mortaliū: sed p̄ subiectā sibi creaturā significasse quæ voluit. At aliquis ait, cur

ergo

ergo ſcriptū eſt, Dixit dominus ad Moſen, & non potius, dixit angelus ad Moſen? Reſpondet ipſe, Quia quum verba iudicis præco pronūciat: non ſcribitur in geſtis, Ille præco dixit, ſed ille iudex. Hunc autem angelum Michaelem fuiſſe firmiter credendum eſt, quum illius populi rector eſſet, & princeps, vt ſuprà monſtrauimus. Ex hoc etiam arguimus: quum dicatur Eſaiæ 37. capite, Angelum domini in caſtris Aßyriorum centum octoginta milia eorum interemiſſe, vt ita vrbem Hieroſolymam ab hoſtibus liberaret, quòd hic angelus domini fuit Michael tunc Hebræorū defenſor & princeps inclyt⁹: qui itidē ipſis Iudæis ſub Iuda Machabeo aduerſus Lyſiā aliquādo pugnātib⁹ apparuit eques præcedēs eos in veſte cādida, armis aureis: & haſtam vibrans, illos adeò fortes animoſoſque reddidit, vt licet eſſent pauci, ipſum Lyſiam cum octoginta milibus contra eos venientem funditus profligauerint, vt in 2. Machabæorum libro capite. 11. cōtinetur. Hic inſuper Iudith fœminam pro illius populi liberatione lubenter

adiuuit: eamque ab omni præseruauit periculo, quum ipsa sola, & suapte natura mulier meticulosa, Holopherni horrendo giganti, qui princeps erat exercitus Assyriorũ, tã viriliter & animose amputauit caput: cũ quo victrix ad ipsum populũ reuersa dixit: Viuit domin⁹: qui per manũ fœminæ nostrũ percußit hostem, & me per angelum suum vndique custodiuit. Iudith. 13.

Hic verò magnificentißimus princeps Michaël non solùm contra hostes Dei mortales, verũ etiam aduersus immortales certando, amplißimam semper reportauit victoriã. En diuus Ioãnes refert in Apocalypsi quòd factũ est prælium magnum in cælo, Michael enim & angeli eius præliabãtur cũ dracone, & draco pugnabat, & angeli eius, sed nõ præualuerunt, nec locus inuẽtus est eorum amplius in cælo: & proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas: contra quem Michael ipse pro corpore Mosis alias etiã certauit: quod ille sibi tradere coactus est, vt

Taddæus

Taddæus apostolus in epistola sua testatur. Ille nanque malignus & nequam spiritus illud Mosis corpus Iudæis ostēdere volebat, vt eos ad illius cultum & ad idololatriā induceret: quod ideo abscondit Archangelus, ne ad tam detestandum excitari possent facinus. Deinde militantis ecclesiæ post Christum constitutus princeps & protector, eam contra Tartareas legiones tutari nūquā desistēs, olim ter saltē fidelib⁹ apparuit, primitus quando ipse in mōte Gargano præeminēs, Neapolitanos tunc ethnicos, & Sypōtinorū hostes, partim fulguribus prostrauit, partim fugauit, Christicolisque donauit victoriam, quos posteaquàm nouerūt Neapolitani ab Archangelo contra eos stupendo miraculo fuisse adiutos, & ab īpetuosa eorum inuasione penitus ereptos: hanc ob rem ad Christi fidem statim conuersi sunt. In illius autem montis cacumine hic præstantissimus princeps spectabile struxit templum, dicauitque, quod peregrini religiose frequētant, quibus ab ipso munificentissimo principe

cipe

cipe multa admirandaque beneficia quotidie largiuntur. Altera eius apparitio fuit occidentem versus in monte Tomba, in cuius vertice, ipso iubente, egregium templum fuit erectũ, ad quod visendum fideles amore tam benigni principis turmatim quotannis confluunt. Tertia gloriosi Archangeli Romæ fuit apparitio super summitate castri Cresentij tempore diui Gregorij: qui dũ quodã die toto clero populoq; illum comitãte per vrbem publicas ageret supplicationes, vt cunctipotens deus eam, quæ ingens ibi vigebat, sedaret pestem, tunc super eius castri pinnaculo sanctũ Angelum vidit ensem cruentatum tergentem, & in vaginam mittentem: qui ex hoc significare voluit pestem illam statim cessaturam. Angelũ hũc beatum Michaelem fuisse non ambigimus, qui vrbem à peste liberatam eo signo Romanis ostendit. Castrum illud, sancti angeli castrum postea semper appellatum est.

Caßidorus senator in 2. libro historiæ

riæ tripartitæ nono cap. scripsit esse locũ prope Pontũ ab vrbe Constantinopoli triginta quinque stadijs distantem, vbi ædes insignis dedicata est in dei & diui Michaelis honorem: ad quam quotdiebus quamplurimi viatores concurrunt propter stupẽda miracula quæ ab illo ibi die noctuque in eorum magnum commodum patrantur: ex quibus innumeris, vnum duntaxat referam, quod ibidem is Cassidorus enarrat de quodã Aquilino in forensibus causis eius socio: quod quum illum nimia bili in eo prædominante, ardẽtissima febris inuasisset: ei præter modum æstuanti potionem medici propinarunt: quam demũ euomuit, & totus effectus fuit croceus: si quid cibi potúsve sumpsisset, id totum mox euomebat. ægrotus iste, vtpote morti vicinus, à medicis fuit destitutus. Qui in humana ope nullam spem amplius habens, ad præfatam ecclesiam portari voluit, vbi dũ velut semianimis iaceret, ei nocturno tempore apparuit Michael archangelus,

hancque

hancque ſibi dictauit medicinã, quòd .ſ. mel, vinum, & piper miſceret ſimul, & in eo liquamine quæ comeſturus erat intingeret. quod quidem quum ille feciſſet, a tanto morbo fuit omnino liberatus. Quanuis hæc tria, videlicet mel, vinum, & piper, ſecundum medicinales regulas ſint cholericis valde noxia, fuerũt tamen ſanitatis huius viri bilioſam febrem patientis potiſſima cauſa, virtute diuina: Cuius mentes illæ cœleſtes effectæ participes, mirabiliter adiuuant ab eis opem religioſe petẽtes. Hæc ex multis pauca de diuo Michaële, cuius nomen non ab re Quis vt De⁹, interpretatur, ſummatim lubenter annotauimus, vt oſtenderemus, quoquo modo poſſemus, nos illius eſſe memores, & ei poſt Deum & beatam Virginem plurimum deuinctos, quoniam in periculis multiſque aliis aduerſis & ipſe ſua ſingulari liberalitate ſemper auxilio nobis eſſe dignatus eſt, in cuius laudẽ hæc metra ad quẽdam Religioſum noſtri amantiſſimum quõdam miſimus, quæ hic ſubſcribere lubuit.

Quẽ

Quem tibi syncera donaui mente libellum:
Hunc frater læta suscipe fronte precor.
Illius ob causam te tali munere dignor,
Qui zabulō summa trusit ab arce potēs.
Inclytus hic princeps, semper genitricis ab aluo
Mi clypeus, thorax, præsidiumque fuit.
Ocia si nobis nunc essent longa Felisti,
Qui senuit, causas dum meditatur apū:
Scribere nec calamus; nec posset lingua referre
Munera magnificus quot tulit iste mihi:
Auxilio cuius, sancto quoque numine fulta
Mēs mea sydereas sperat adire domos.
Quas vult hic animas spectādus signifer offert
Illi, quem trinum credimus esse Deum,
Vt pendens hominū cunctorū facta bilance
Aequa, pro meritis præmia digna ferat.
O me fœlicem, tanti cantare triumphos
Si possem celsos, miraque gesta ducis:
Quæ quum grandiloquo sint & celebranda sonoro
Plectro:

Plectro, iā sileat languida nostra Chelis.
Hūc igitur venerare patrē, mi dulcis amice:
Diuinum cuius nomen honore geris:
Tēpore luctisono quod te tueatur, & intra
Cælicolas clemens collocet ipse choros.
Pro te fundo præces, duplices ad sydera palmas
Assiduò tendens, sic (rogo) redde vices.

Si verò nobis id obiiciatur, quod Apostol⁹ ad Timotheū scribit dicēs, Vn⁹ est mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus: Christū sanè fatemur vnicū esse redēptionis humanæ mediatorē, vt idem Paulus ostēdit, ibi post prædicta hæc statim subdēs, Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus. Nec negamus illum apud deū esse primum intercessionis mediatorē, diuo Ioanne in sua prima epistola dicente: Sed si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrē, Iesum Christū, qui quatenus homo, pro nobis orat: quatenus verò Deus, nostras facilis admittit preces, & eorum qui pro nobis orant. Verùm & sancti, membra Christi vnita

ei vt suo capiti, ipsum imitantes, Deum pro nobis orant: qui licet per se solum hoc orandi mun⁹ apud patrem vt homo exequi valeat; sua tamen singulari humanitate id fratribus & cohæredibus suis communicare dignat⁹ est. Itaque in hoc etiam eos vt amicos & fratres dilectißimos honorare suæ lubuit benignitati, quòd scilicet & ipsi apud communem eorum patrem essent intercessionis mediatores. Non igitur ab re scripsit Ioannes, odoramenta quæ erant in phialis aureis, esse (vt suprà meminimus) sanctorum orationes; quibus Iesum pro fidelibus orant vt deum, non vt hominem tantum.

Ipsi nanque sancti dum viatores adhuc essent, etiam fuerunt mediatores, officio fungentes mediatoris inter deum & humanum genus, vt ex auctoritatibus sacræ paginæ cõprobatur, quas Petrus Sutor, vir nẽpe reuerendus, & religiosus probißimus, ac hagiographiæ doctor eximius, in opere quod cõdidit in nouos Anticomaritas, adducit:

multasq; ibi affert rationes, & quidem efficaces, ad ostẽdẽdũ hoc omnino esse verũ: quòd scilicet sancti Dei omnes iure sunt mediatores, & præsertim Beatissima Virgo vera mediatrix præ cæteris existit & habetur. Cuius quidem verba sunt hæc. Moses missus olim fuit à Deo legatus ad Pharaonem, vt liberaretur populus Israëliticus ab Aegyptiaca seruitute: quemadmodũ ex. 3. & 4. capitulis Exodi apertè liquet. Ipse quoq; Deuteronomij. 8. capite dixit: Ego sequester & medius fui inter Deum & vos in tempore illo. Item diuus Paulus se reconciliatorem, legatum, & oratorem asserit, in Epistola. 2. 8. capite sic ad Corinthios scribens, Et posuit in nobis Deus verbum recõciliationis. Pro Christo ergo legatione fungimur, tãquam Deo exhortãte per nos. Obsecramus pro Christo reconciliamini Deo. Super quibus verbis beatus Gregori⁹ in ei⁹ Homilia. 32. hæc refert. Ecce inter nos & deum discordiã peccãdo fecimus: & tamen ad nos suos legatos prior misit, vt nos ipsi, qui peccaui-

peccauimus, ad dei pacẽ rogati veniamus. Erubescat ergo humana superbia, confundatur quisque, si non satisfaciat prior proximo, quando post culpam nostram, vt ei recõciliari debeamus, & ipse qui offensus est, legatis interuenientibus obsecrat deus. Denique ipsi põtifices à deo instituti sunt, vt mediatores sint inter deũ & populum. Siquidem ad hoc sunt ordinati, vt pro peccatis populi & preces fundant, & sacrificia offerant, sicq; populum ipsum deo tãquam mediatores reconcilient. Ideo ad Hebræos scribitur capite quinto: Omnis nanque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad populum: vt offerat dona & sacrificia pro peccatis. Sed si sancti tunc hanc miseriæ vallem incolentes, erant Deo grati mediatores: cur non etiam mediatores erunt in illa fœlici patria constituti: quum ibi nunc longè maiori flagrent charitate, Deoque lõgè gratiores sint, quàm essent dum in hoc degebant seculo?

At multo magis Sacrosancta Virgo dei

genitrix Maria mediatrix est, & ita dici valde meretur. Sic eam sæpe diuus Bernardus appellat, & primò in sermone de aduẽtu Domini eã in hũc modũ alloquitur: Domina nostra, mediatrix nostra, aduocata nostra, tuo filio nos recõcilia: tuo filio nos repræsenta. Et in sermone secundo Pentecostes ait, Ad illam enim sicut ad medium, sicut ad arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negocium seculorum respiciunt & qui in cœlis, et qui in terris habitãt, & nati natorum, & qui nascentur ab illis. Idem etiã in sermone incipiẽte, Signum magnũ apparuit in cœlo, de tanta virgine ista scripsit: Iã itaque nec ipsa mulier benedicta ĩ mulieribus videbitur ociosa. Inuenitur equidẽ locus eius in hac recõciliatione. Opus est enĩ mediatrice ad mediatorẽ istũ, nec alter nobis vtilior, quã Maria. Crudelis nimirũ fuit Eua, per quã serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit: sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum & viris & mulieribus propinauit. Illa enĩ ministra seditionis, hæc propitiatio-

pitiationis. Illa suggessit præuaricationẽ, hæc ingeßit redemptionem. & paulo post addit, Quòd si oĩa (vt vere sunt) plena pietatis & gratiæ, plena mãsuetudinis & mĩæ, quæ ad Mariã pertinẽt, inueneris, age gratias ei, qui talẽ tibi mediatricẽ benignißima miseratione prouidit: in qua nihil potest esse suspectũ. Idẽ rursꝰ ibidẽ inquit. Nẽpe vellꝰ est mediũ inter rorẽ & areã, mulier inter Solẽ & lunã, Mariã ĩter Christũ & ecclesiã cõstituta. Et in epistola ad Lugdunẽses hoc ipsũ adstruit, dicẽs, Magnifica gratiæ ĩuẽtricẽ, mediatricẽ salutis, restauratricẽ seculorũ, exaltata deniq; exaltatã sup choros angelorũ ad cœlestia regna. Hæc mihi de illa cãtat Ecclesia, & eadẽ decãtare docuit: ego verò qđ ab ipsa accepi, securꝰ & teneo & trado. Ex his nãq; diui Bernardi sentẽtiis patet ipsã virginẽ mediatricẽ esse. Patet quòd & Ecclesia (cuius potior est auctoritas) ita decãtare solet. Rationẽ insuper addidit idẽ Sutor, vt aduersariorum temeritas pleniꝰ cõfundatur. In primis illa sanè mediatrix dici debet, ꝑ quã

velut medium diuina beneficia defluunt in genus humanum: sed ita est de Virgine semper benedicta. Siquidem ipsa vocatur collũ, vocatur & scala cœli: vocatur & ianua seu fenestra Paradisi: quòd omnia bona cœlestia per eius manus (vt ita dicam) ad nos deueniũt. Collum rectè nuncupatur: quia sicut per collũ trãseunt ea quæ à capite descẽdũt in corp⁹: ita quæ à capite Christo defluũt in corp⁹ mysticũ, quod est ecclesia, per Mariã trãseunt. Proinde Bernardus ipse iterũ de eadem virgine loquẽs, ait: Denique oĩbus oĩa facta, sapiẽtibus et insipiẽtib⁹ copiosissima charitate debitricem se fecit, oĩb⁹ misericordiæ sinũ aperit, vt de plenitudine ei⁹ capiant vniuersi. De hac etiã Virgine beatus Augustinus sermone decimo de natiuitate domini, sic meminit. Facta est Maria fenestra cœli: quia ꝑ ipsã De⁹ verũ fudit seculis lumẽ. Facta est Maria scala cœlestis, quia per ipsam Deus descendit ad terras: vt per ipsam homines ascendere mererẽtur ad cœlos. Quum igitur pro sententia sanctorũ

patrũ

patrum, non ſolum diuina bona, ſed etiam ipſorum bonorum fontem atque auctorẽ per Mariam ſuſceperimus, nulla ſanè cauſa eſt, cur mediatrix dici & eſſe non debeat. Si serui quoque & miniſtri Dei mediatores dicuntur, vt ſuprà probatum eſt: quid de illa ſentiendum, quæ principatum in amore & gratia tenet? Inſanũ profectò eſt ac peruerſum, dicere virginẽ dei matrem apud ipſum deum nobis non eſſe mediatricem.

Ad illud autem Pauli dictum ſuperius citatum, quòd ſcilicet vnus eſt mediator dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, reſpõdet ipſe Sutor, quòd vnus ibi non capitur pro vnico, ſed pro præcipuo, ſiue vt ſcilicet intelligatur Chriſtus eſſe mediator Dei & hominũ potiſſimus, ſiue primus primitate dignitatis. Vel ſi tamen cõtendas vnum pro vnico ſiue ſolo eſſe ſumendum, tunc reſpõdet illam Pauli ſententiam in vtroque ſenſu intelligi poſſe. Primus eſt, vt intelligatur Chriſtus vnicus mediator quo ad cõmercium duarum naturarũ, diuinæ ſcilicet & humanæ in eadem

dem hypostasi. Alter sensus est, vt Christus dicatur esse vnicus siue vnus mediator dei potissimus ac vniuersalis: quum nullus sit qui generatim mediarit inter deum patrem & totum genus humanũ, præter Christum: qui patri suo reconciliauit illud. Hoc idem asseuerat Dionysius Carthusianus in eadem epistola, sic exponẽs: Vnus est mediator, id est, reconciliator & sequester dei trinitatis & hominum, homo Christus Iesus; cum vtroque extremo conueniens: cum deo secundum naturam diuinam, & cum hominibus secundum assumptã humanitatem. Estque mediator dei & hominum propriè loquẽdo, nec vt deus, neq; vt homo, sed vt deus homo, seu vt deus incarnatus. Sic quippe competit ei & satisfacere seu recõciliare, & idoneitas vel efficacia recõciliandi: quorũ primum conuenit ei ratione assumptæ naturæ, secundum verò ratione deitatis vnitæ: ex qua pœnæ & opera Christi hominis infinitam quodammodo dignitatẽ & efficaciam habuerunt, adeò vt minima gutta sanguinis eius

fuisset

fuisset sufficiens ad totum humanum genus liberandũ. Istud nos breuiter suprà iã retuleramus, quod hic diffusè magis explicauimus. Hæc igitur Apostoli nullatenus obstat auctoritas, quin benignißima virgo mediatrix sit, & dici verè mereatur, sicut & cæteri sancti: eo tamen modo & sensu à nobis antè prolato: sed multiplici ratione censemus ipsam virginẽ longè excellentius mediatricẽ esse dicendã, vt sat antè monstratum fuit.

Aliis etiã argutiis hanc verißimã vniuersalis Ecclesiæ sententiã aduersarij impugnare nituntur: quarum hæc est vna: Sancti nõ sunt amplius in statu magis merẽdi: quoniam pro bonis quæ dum hic essent viatores, fuerunt operati, suã reportarunt integrã mercedẽ: quia (vt Apost. ad Eph. scribit) vnusquisq; quodcunq; fecerit bonũ, hoc recipiet à dño, siue seruꝰ sit, siue liber. Vnde D. Ioãnes dixit ĩ Apo. Opa eñi illorũ &c. Quũ itaq; sufficiẽter, imo magis vltrà q̃ meruerũt, fuerint à domino remunerati: diuinæ iustitiæ nõ congruit vt aliã mercedẽ seu præmiũ sint cõsecuturi: quod q̃dẽ obtinere viderẽtur, si alius

eorum auxilium implorantibus apud deum præsidio esse valeret. Non debent ergo posse rogantibus eos opitulari. Sic & aliã struere satagunt. Sancti autem vidẽt deum nolle id concedere, quod aliquis eos rogat: & tunc eũ non precabuntur: quũ sint eius voluntati omnino concordes, sciantq; ipsum non esse mutabilem, vt quod antè nolebat, precibus eorũ flexus modò velit. Hanc ob rem dixit ille Mantuanus vates,

Desine fata deûm flecti sperare precando.

Aut cognoscunt quòd dominus id penitus dare volebat, & tunc frustrà rogabũt: quia hoc non eorum prece concedet, sed quia sic ab æterno decreuerat.

Caterùm vafris istorum cauillationibus facilis patet responsio. Nam beatorũ duplex est præmium. Vnum essentiale: quod ipsi habent videndo, amandoque deum, ac illo summo bono maxima cum delectatione fruendo. Vnde Magister in .2. Sententiarũ libro distinctione prima pulcherrime dixit, Fecit deus rationalem creaturam, vt summum bo

num

nũ ĩtelligeret, intelligẽdo amaret, amãdo possideret, possidẽdo frueretur. Hoc etenim præmium, dum hic viuerẽt, adepti sunt cum dei gratia in fide spe & charitate bene operando, eiusque mãdata seruando, quod illi iam in cœlesti patria perenniter obtinent: in quã non sunt amplius in statu merendi, quòd.s. illud eis intensiuè magis augeatur. Alterum est, quatenus à fidelibus hoc in seculo laudantur, honorãtur, inuocanturq;. Ex hoc illi magno afficiuntur gaudio: quod à sanctis theologis accidentale præmiũ vocatur: quod illis etiam ex aliis causis cõtingere potest, vt illud de quo dominus in Euangelio, Gaudiũ erit in cœlo coram angelis dei super vno peccatore pœnitentiam agẽte. Si verò Dominus sanctis suis, quando in hac erant mortali vita, gratiam donauit illud primum merendi, quod hoc secũdo longè maius existit, profectò (regula iuris dicente, Cui cõceditur quod est plus, id etiam quod minus est, ei cõcessum intelligitur) ambigere non debemus eis ab ipso domino fuisse datum hic mereri, quòd post

suam

ſuam hinc in cælum tranſmigrationem, nos apud eundẽ ſuis precibus adiuuare poßint. Ita B.Thomas ſuper 4.Senten.diſtinct. 45. opinatur, & rectè quidẽ, ſic dicẽs: Sancti ex præcedẽti merito ſuis orationibus alios in patria iuuare poſſunt: hoc enĩ viuẽtes apud deũ meruerunt, vt etiam poſt mortem eorũ orationes exaudiantur: quapropter quũ exaudiuntur, potius cedit illis in præmiũ meritorum præcedẽtium, quàm in nouum meritum. Hoc etiam refert in ſecunda parte ſecundæ partis ſuæ ſummæ, queſtione 84. articulo 11. Quum olim Rex Aßyriorũ aduerſus Hierusalem ingentem duxiſſet exercitum, Ezechiæ tunc Hieroſolymæ regi per prophetam dixit dominus: Protegam ciuitatẽ iſtam, vt ſaluem eam, propter me, & propter Dauid ſeruum meũ. Diuus autẽ Ioannes Chryſoſt. exponendo pſalmũ Dauid 50. ait: Sanctus Dauid non ſolũ quũ eſſet in corpore, placuit deo: ſed & poſt mortem ſuã uiuis inuenitur præſtitiſſe grande ſolatiũ. Ezechias enĩ videns hoſtem potentißimum vrbem ſuam circumual-

cumuallasse, obuolutus sacco intrauit in domum domini, eumque cum lachrymis deprecatus est, vt à tanta obsidione ciuitatem suam liberare dignaretur: cui tunc per Esaiam promisit ipse dominus se vrbem ipsam protecturum, dicens: Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid seruum meum. Dauid mortuus est, & eius merita vigent. O rem admirandam. O ineffabilis dei clementia. Homo mortuus, viuo patrocinatur. O iustorum & post consummationem inexpugnabilis pugna virorum. Hæc ille. Azarias ideo cum sociis in ardenti fornace positus, quum sciret deum aliquando ad Isaac dixisse, Noli timere, quia tecum sum, & benedicam tibi propter Abraham seruum meum: ex hoc animaduertens quantum merita sanctorum patriarcharum, quanuis ab humanis recesserint, viuentibus apud dominum suffragari valeant: humiliter illi supplicabat, vt eos à tanto liberaret incendio, dicebatq; Ne auferas domine misericordiã tuã à nobis pro

pter

propter Abraham dilectũ tuum, & Isaac seruum tuum, & Israël sanctum tuum. Si deus nollet propter sanctos qui ex hoc mundo transierunt, sed solum propter se viuentibus benefacere, nec illorum merita vllatenus apud eum nos adiuuare possent, nõ fuisset pollicitus Isaac benedictionem propter sanctitatem & merita Abrahæ patris sui; nec Ezechiæ ciuitatis liberationem propter Dauid seruum suũ: nec Azarias orasset maiestatem suam vt secum faceret misericordiã propter illos patriarchas inclytos, propter quos iam Moses antea rogauerat ipsum dominũ vt esset placabilis sup̃ nequitia populi, & statim placatus est. Qui si istorũ orationes sibi offerẽtium memoriã & merita illorum sanctorum patrum tunc existentium in limbo, vbi nõ est merendi status, lubenter admisit, & eos illorum amore tam clementer exaudiuit: quanto magis ipsosmet nũc in illa triumphanti Ecclesia eius diuino conspectui semper astãtes, necnon Apostolos Christianæ fidei fundatores, & Euangelistas, dictorum

rũ gestorumq; Christi scriptores, & Martyres illius fidem proprij sanguinis effusione confirmantes: & Doctores vbique magno cum labore salubrem doctrinã prædicantes, aliosque innumerabiles sanctos integritate vitæ, morum nobilitate, mirabili abstinentia ac religione illis testamenti veteris patribus non inferiores: qui nunc omnes ab ipso domino tam dilecti in illa cœlesti aula nunquam desinunt esse præsentes suæ maiestati: ipsosmet, inquam, quanto magis lubẽter exaudiet pro suis cultoribus, aliisq; fidelibus orantes? Quid ad hæc isti? Qui si dicant illos potius suis meritis, quàm eorum per quos rogabant dominum, fuisse ab eo exauditos: audiant Chrysostomũ super prædicto psalmo dicentem: Venit ad Ezechiam Esaias propheta, & ei ex parte domini dixit: Protegã ciuitatem hanc propter me, & propter Dauid seruum meum: ne putaret ille quòd ex sua iustitia fuisset exauditus. Et idem in homilia. 42. in Genesim eadem verba repetit dicens, Deus propter defunctorũ virtutem,

f viuentium

viuentium miseretur, & curã habet: vnde clamat, Protegam ciuitatem hãc propter me & propter Dauid puerum meum. Quasi diceret, Licet indigni sint, & nullam salutis habeant occasionẽ, verùm quia solitus sum misericorditer agere, & ad misericordiam prõptus, propter meipsum, & propter puerũ meum Dauid, qui ante hos annos è vita migrauit: hic auctor salutis ero his, qui sua sese perdiderunt desidia. Et quum Moses rogasset Dominum, vt quam populo fuerat minatus, remitteret pœnã propter Abraham, Isaac & Iacob eius seruos, mox placatus pepercit ei, vt suprà relatum est. Ex his ideo clarè liquet deum citius meritis & precibus sanctorum vita defunctorum opem nobis afferre, quàm ex nostris, seu ex nostra simplici prece. Quocirca illi non sunt audiendi dicentes, sic deo placuisse ex sua mera liberalitate illos exaudire, & non ex vlla sanctorum meritoria virtute. Deus enim non vtitur sua liberalitate in quenquam, ei donando præmium, nisi præcesserit aliquod

meri-

meritum: licet quos vult, sine vllo eorum merito ad suum vocet seruitium. En vocauit Paulum dum esset acerrimus ecclesiæ suæ persecutor, quem tamen prius non donauit præmio, quàm merita præcessissent. Vnde is ait: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Et ille paterfamilias operarios qui vsque ad vndecimam horam diei in foro fuerant ociosi, ad colendum vineam suam vltro inuitauit: & licet in eâ per horam fuissent operati, tamen quum vesper aduenisset, quod est tempus non amplius operandi, nec deinceps lucrandi, seu merendi, illis longè plus tribuit, quàm non meruerant, nec vllatenus (iustitia exigente) tantum poterant petere, quãtum patrifamilias eis largiri lubuit, qui ex sua immensa bonitate introduxit eos in vineam, ipsisque donauit gratiam ibi operandi per illam horam: quorum opus adeo gratum habuit & acceptum, vt

pro labore vnius horæ dignatus sit eis copiosissimam mercedem rependere: quum citra iniuriam iustitiæ, de suo quod sibi lubet valeat disponere erga amicos sua vtẽdo liberalitate, sicut in Abraham, Isaac, Iacob, & Dauid fuit vsus: quia boni fuerũt & fideles serui. Et hanc ob causam propter illos eius opem implorantes lubenter adiuuit. Sic & in alios sanctos qui hac in vita fideliter laborarunt, oppido liberalis existit, eis præter illud primum & summum, etiam hoc secundum donando præmium, quod est, vt in illo æternæ diuinitatis speculo cuncta (vt D. August. ait) videant & audiant, quæ ad honorem, gaudiũ, eorumq́; spectent gloriam. Deo igitur illis ciuibus cœlestis Hierusalem donante facultatem pro suis & aliis orandi impetrandique, ac eos videndi & audiendi in illo (vt iam dictum est) mirabili & ineffabili verbo: hoc eis magnum honorem, & ingens affert gaudiũ, quorũ honor in ipsum deum mage redundat, quum passim magis dignoscatur quàm mirabilis sit eius liberalissima

lißima bonitas, qua tantam gratiam & potestatem communicat sanctis suis, vt etiam sæpius eis miracula facere concedat. Nónne in 4. Regum libro, capite tertiodecimo, legitur quòd cadauer hominis mortui proiectum in sepulchrum Helisæi prophetæ, quum eius ossa tetigisset, statim reuixit homo ille, & super suos stetit pedes? Beatus quoque pater Augustin⁹ in libro vigesimosecundo de ciuitate dei quamplurima multorum sanctorum miracula scripsit, quorum nonnulla se vidisse, illisq́ue interfuisse, alia verò partim ab ipsismet qui ab incurabilibus morbis, ac dæmonum vexationibus sanctorum precibus mox à deo fuerunt liberati, & partim à fide dignis audiuisse testatur, ibi dicens, quòd ipsi sancti quum amore dei (dum hic essent) cōtra mundum, carnem, & dæmonia pugnantes aßiduè, fortesq́ue semper existentes in bello, pro fide domini tot & tanta mala paßi sint: magna eorum patientia meruit, vt suam implorantibus opem, ab ipso domino mirāda hæc beneficia impetrarent.

rent. Liber itidem dialogorum à diuo Gregorio pontifice sanctissimo editus, miris sanctorum prodigiis refertus est. Et diuus Ambrosius Mediolanensis antistes, ac egregius ecclesiæ doctor, diuæ Agnetis vitam & agonem describens, inter alia multa illius miracula refert, Constantiam imperatoris Constantini filiam, quum ad tumulum beatæ Agnetis orasset, eius precibus mox ab vlceribus fuisse liberatam, quibus toto in corpore vehementer affligebatur.

Scripsit etiam hic optimus archipræsul se reperisse corpora sanctorum Geruasii & Prothasii, qui iamdudum (quando Mediolanensis populus idolis adhuc seruiebat) Mediolani Christo famulantes, ab Astasio comite fuerant interempti, & à Philippo Christicola fidelissimo in eius domo tunc sepulti: vt in libello continebatur, in quo ipse illorum vitam & mortem succinctè scripserat, in calce cuius hæc verba seriatim scripta fuere: Ego seruus Christi Philippus

pus

pus abſtuli cum filio meo furtim nocte corpora ſancta, & in domo mea (ſolo deo teſte) in iſta arca ſaxea ſepeliui, credens me conſequi poſſe orationibus eorum miſericordiam domini noſtri Ieſu Chriſti. Ab illo autem tempore multos poſt elapſos annos populo denique ad Chriſti fidem conuerſo, beatus Ambroſius poſteaquàm Mediolani factus fuerat archiepiſcopus, orando ibi nocturno tempore, bis vidit duos iuuenes ephebos veſtibus candidiſsimis, videlicet collobio & pallio, indutos, ac caligulis calceatos, extenſis manibus orantes. Tertia verò nocte cum illis apparuit ei ſanctus Paulus: qui ſolus diuũ Ambroſium ſic allocutus eſt: Iſti ſunt, qui monita mea obſeruarunt: reſpuentesque prædia, & mundi diuitias, ſecuti ſunt domini noſtri Ieſu Chriſti pia veſtigia: nihil terrenum, nihil carnale concupiſcentes, in media hac Mediolanenſi vrbe per decem annos in dei ſeruitio perdurãtes, ad hoc pertingere meruerũt, vt. ſ. Chriſti martyres fierent: quorum corpora

in eo loco inuenies, vbi ſtas, & oras, duodecĩ pedũ altitudine terræ coopertam arcam inuenies, quam ſuperius exaltabis, & in nomine eorum eccleſiam ædificabis, His à diuo Ambroſio viſis & auditis ipſe (vt ſcriptũ reliquit) conuocauit coëpiſcopos vrbium vicinarum, quibus vniuerſa quæ viderat & audierat, ſedulò retulit: & illis coràm poſitis primus terræ foſſor acceſsit, cæteri verò epiſcopi proſecuti ſunt, & fodientes peruenerunt ad arcam quam ſanctus promiſerat Paulus, & eam aperientes inuenerunt quaſi ipſa hora ſanctos poſitos, miro odore fragrantes. Ibi quoque libellus (vt dictum eſt) fuit repertus, in quo etiam eorum nomina & parentum erant ſcripta: quibus templum (vt Apoſtolus iuſſerat) Mediolani conſtruxit præfatus protomyſta, quod ibi in honorem illorum in hunc vſque diem cernitur dedicatum, & ad illud accedentes, ipſorumq́ue ſanctorum, ſcilicet Geruaſij & Prothaſij, auxilium firma fide, ſpe, ac humilitate petentes, ibi quotidie

tidie ab illis apud Deum suis precibus adiuuātur. Itidem diuus Cyrillus Hierosolymitanus pōtifex inter multa miracula beati Hieronymi quę ad sanctū Augustinum scripsit, hæc in calce sui opusculi narrat, dicens: Dominico die transacto post octauas Pentecostes, omnibus meis suffraganeis episcopis, & multitudine maxima tā virorum quàm mulierum in ecclesia in qua sanctissimum quiescit Hieronymi cadauer, simul congregatis, honore debito & reuerētia primus egomet sacris indutus vestibus ad locū foueæ in qua corpus venerandū nunc adhuc iacet, accedens, sepulturæ terrā fodere cœpi: vt corpus illud sacratissimum inde ablatum in tumulo marmoreo mira pulchritudine vndique ornato poneretur. Quum autem fouea esset aperta, cernentibus cunctis corpus illud gloriosum in medio foueæ tanquam in aëre à nulla parte terram tangens permanebat integrum, nec aliqua corruptione violatum: quod odore suauissimo fragrans, inde eleuantes, collocauimus in altari, quatenus

à

à populo reliquiæ ſanctiſsimæ viderentur. Quot autem illo die, me cunctiſque qui aderant, aſtantibus, ſint peracta miracula, explicare nullaten⁹ compos eſſem. Cæci ſexdecim illas reliquias tãgentes, oculorũ lumẽ protinus receperunt. Tres præcipue dæmoniaci, catenis vincti, in illam Eccleſiam plurimorum hominum manibus deportati, fuerunt penitus liberati.

Cuiuſdam pauperculæ mulieris & viduæ vnicus filius ac puerulus, in eccleſia fuit præ gentiũ multitudine ſuffocatus: quẽ quum mater dolens & lugens inueniſſet, mox in vlnis puerile cadauer ad foueam in qua glorioſi Hieronymi corpus fuerat ſepultum, detulit: idque in eã proiecit, hæc dicens: Sancte Hieronyme, hinc non diſcedã, donec mihi filium meum vnicũ quem amiſi, reſtituas. Mirabilis certe Deus in ſanctis ſuis ſtupenda miracula facit. Nam vt terram extincti pueruli corpus tetigit, eidẽ anima ſtatim fuit cõiuncta. Innumerabilia penè ſunt prodigia, quæ toto illo die fuerũt peracta,

acta, quo ipsum gloriosum Hieronymi corpus super altare extitit collocatum.

Hora verò vespertina corpus illud sacratißimum in monumento quod ei fuerat præparatum, posuimus: quod mane vidimus vacuum, & ipsum corpus pristinæ foueæ restitutum. Hoc dum ego plurimum admirarer, sequenti nocte mihi dormienti beatus Hieronymus apparẽs in visione, hæc dixit: Noueris Cyrille quòd corp⁹ meũ de fouea ĩ qua iacet, nullaten⁹ extrahetur, donec Hierusalẽ ab infidelibus capietur: tunc Romã delatum, ibidẽ multo tẽpore requiescet. Hæc autẽ quãdo veniẽt, aliter nõ agnosco. Ex his nã q; istorũ sanctorũ patrũ dictis euidẽter apparet Deum velle ꝙ corpora & reliquiæ sanctorũ in hac vita exaltẽtur, & à fidelib⁹ honorentur colanturq;, donec eorum animæ in nouißimo die illa reassumant: quæ tunc longè magis erunt honorata, decorataque. Nam (vt Apostolus ait) corpora sanctorum seminata in corruptione, surgent in incorruptione. Seminata in ignobilitate,

ſurgent in gloria. Seminata in infirmitate, ſurgent in virtute. Seminata vt corpora animalia, ſurgẽt corpora ſpiritalia. Itaq; quatuor admirandis ornabuntur dotibus, videlicet impaßibilitate, claritate, agilitate, & ſubtilitate. Quando enim in hoc viuebãt ſeculo (teſte Paulo) ſancti ſpiritus erant templa: qui vult, vt illa ſic temporariè venerentur in mundo, quæ poſteaquam reſurrexerint, perenniter ſublimabuntur in cœlo.

Quatenus à noſtris aduerſariis aſſeritur ſanctos fruſtra Deum rogaturos, vt id donet, quod ſe daturum ab æterno diſpoſuerat: hoc porro negamus, quia etiam præuidit ipſe Deus & diſpoſuit ab initio, ſe quicquam illis cõceſſurum, pro quibus ſancti rogabunt, quod aliter vel tam cito non concederet: qui tunc videntes Deum illis non facturũ gratiam, niſi pro eis interceſſerint: ad orandum magis incitantur, vt ſupplicantes petita citius aſſequi valeant. Itaque ſanctorum preces non ſunt in vanum, nec inutiles, quibus Dei voluntas nullatenus flectitur:

quoniam

quoniam sic ab eo ante secula statutum fuerat, vt illorum gloria vel huic mundo magis fieret manifesta, & cognosceretur quantum velit eos à viatoribus honorari, quum etiam per ipsos (vt suprà ostẽdimus) miracula facere dignetur.

Suam insuper opinionẽ exemplo filij prodigi magis etiam fulcire nituntur: qui quum suum patrimonium liguriſſet, ad cor tandem reuersus, suã miseriam defleuit, dicens, Hic fame pereo: quid faciam? Adibo patrem, illique dicam: Pater, peccaui coram te: iã non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. Nec eum tunc adire, ipsumq; rogare distulit: à quo lõgè plura & maiora quàm speraret, consecutus est. Ex hoc enim monemur & nos scelera nostra recognoscere, illaque detestari, & magna cum fiducia ad solum Deum cõfugere. Istis Ioãnes Chrysostomus astipulari videtur, dum homilia quinta in Matthæũ dicit, Si negligentes fuerimus ac desides, nec per aliorum possumus merita saluari. Si verò

ro ment e vigilemus, etiam per nosmet ipsos istud valemus efficere. Nam Deus salutem nostram non tam aliis pro nobis rogantibus vult donare, quàm nobis, vt hoc ipso quo irã in nos eius placare cupimus, ad studia meliora migremus, & fiduciam bonæ conscientiæ colligamus. Sic enim Chananæam illam aliquando miseratus est. Sic etiam meretrici donauit salutem. Sic latronem à cruce in paradisum transtulit, nullius patroni, nulli⁹ precibus mediatoris inflexus.

Ad hæc autem colendißimus magister Ioannes Arboreus sacræ theosophiæ peritissimus doctor, in 13. libro secundi tomi capite. 3. clarißimè respondet, dicens: Quod obiectum est pro exemplo orationis ad Deũ sine medio dirigẽdæ, de filio prodigo, qui dolore suæ prodigalitatis & inhonestæ vitæ compunctus, ad suum patrem confugit, non dubito quin suadeat principaliter magna cum optimi animi fiducia ad Deum nostræ salutis authorem recurrendum esse: nam

absolute & simpliciter potest Christianus absque sanctorum præsidio (si tamen illos orare non contemnat) æternam fælicitatem adipisci: alioqui deus summam & feruentissimam hominis contritionem, & pœnitentiam, eleemosynis, oratione syncera, & ieiuniis instructam præmunitámque, nihili faceret, nullóque pensaret præmio, si homo prius non oraret sanctos: quod quidem satis esset absurdum. Secundariò tamen confugiendum est ad sanctos, quorum ope nitimur, vt facilius (præsupposita Dei ordinatione, quod flagitamus) nanciscamur. Oratio nanque pro alio, procedit à charitate. Ergo qui maiori charitate illustrantur, facilius & celerius obtinent suis precibus quod viatores desiderant, quàm qui minorem charitatem habent. Perfectior autem est charitas in beatis, quàm in viatoribus. eorum igitur precationibus quod postulamus, facilius assequemur, quã viuorũ orationib⁹, quibus ipsi

Lutherani non negant nos apud Deum posse iuuari, nec inficiari queunt: id quod multis auctoritatibus sanctæ paginæ suprà probatum est. Ergo multo magis supernorũ ciuiũ preces nobis opitulari valent. Et hac quæso (ait ipse Arboreus) vtere aduersus Lutheranos Dionysii regula, de qua nos etiam suprà meminimus, quòd. s. ad obseruãdũ ordinẽ diuinitus institutum, vltima reuocãtur ad suprema per meda. Quum igitur homines in hac peregrinatione constituti (facta ad beatos & angelos & homines comparatione) vltima sede donẽtur, & sancti sint medij inter Deum & viatores, congruum est, & maximè cõueniens, vt viatores sanctorum adminiculis & præsidio ad Deũ, qui in summa arce residet, reuocentur. Quæ verò ex Chrysostomo adducta sunt, minimè nobis aduersantur. Enimuero si nobis aduersarẽtur, Chrysostomo quoque aduersarẽtur & reclamarent, qui acerrime defendit sanctorũ ꝓ nobis suffragia & patrocinia. Nã quum ipse illa dixisset quæ antè retulimus,

quòd

quòd scilicet dominus Chananææ misertus est, meretrici peccata remisit, & latroni eũ in cruce roganti, paradisum promisit, nulli⁹ patroni, nulliusq; mediatoris precibus inflexus: tũc tandem subiunxit, Et bene dicim⁹, non vt pro peccatoribus supplicandum esse sanctis negemus, sed ne nosmetipsos in ocium ac desidiam resoluamus, & dormiẽtes ipsi aliis tantummodo nostra curanda mãdem⁹. Hæc Chrysostomus, qui exponendo quòd dicebat Christus Chananææ, quæ bis repulsa nõ destitit ab orationib⁹, O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut petis: super his verbis dicit ipse: Tu diligenter considera, quum nihil ab apostolis in re mulieris factum fuerit, totum ab ipsa fuisse perfectum. tantum quippe potest iugis & feruens oratio. hæc quæ sequũtur, subiunxit, Quãuis maiore illi ad Christum potirẽtur libertate, magnã tamen mulier patiẽtiam ostendit: & exitu ipso rerũ facillimè intellxerunt Apostoli quã ob rem non statim ipsis quod pro ea petebãt, concessit. Quatenus verò subsequentia ver-

ba præcedẽtibus cohærẽt, noluit dicere Chrysostomus apostolos pro Chananæa rogantes nihil suis precibus illi mulieri contulisse, sed quòd non statim ipsis apostolis Christus quod pro Chananæa petebant, concesserit: non propter inefficaciam orationis ipsorum apostolorum, sed vt patientia & perseuerantia illius mulieris in orationibus magis fieret manifesta. Si adhuc obieceris quod idẽ Chrysostomus de eadem Chananæa sic ait: Vide prudentiam mulieris, non rogat Iacobum, non obsecrat Ioannem, neque pergit ad Petrum, nec intendit apostolorum chorum, non quæsiuit mediatorem, sed pro omnibus illis pœnitentiã accepit comitem, quæ aduocati locum impleuit, & sic ad summũ fontem perrexit: Cõcedimus sanè mulierem illam non confugisse in exordio suæ precationis ad apostolos, nec primaria intentione eorum auxilium postulasse: sed quum attonita stupore, & mœrore confecta agnouit Christum nihil sibi respondisse, clamauit post apostolos, vt saltem eorum precibus sui

sui voti desiderio potiretur. Et quod dicit Chrysostomus; Mauult nostram Deus, qui rei sumus, quàm aliorum pro nobis orationem: id dictum putes considerata meriti & satisfactionis ratione. Meritum siquidē innititur valori operis ad finem destinati, cui plerunque annexa est difficultas, & etiam pœnæ æquo animo tolerandæ coniuncta est satisfactio: & quoniã viuentes sunt in statu merendi, & non modico labore torquentur, vt Deum prout oportet orent, & varijs perturbationibus ac molestijs iactantur: Dominus maximè gaudet quum peccator ad eum proximè contendit, eiusque misericordiæ se submittit. Si tamen inspectemus rationē impetrationis, quæ innititur liberalitati eius qui rogatur, fatebimur Deum fàcilius sanctorum precibus, quàm nostris annuere, eò quòd sint perfectioris charitatis, & in excellentiori statu, quàm nos ipsi, ad aliquid impetrandum constituti. Deinde quod obiectum est, quòd scilicet nobis non est opus patronis apud deum: pri-

mum id à Chrysostomo dictum putes, vbi iugis & feruentissima viatoris oratio ac summa pœnitentia patroni locum supplet. Aliter non est opus patrono & intercessore, considerando orationem à Deo implendã. Hoc enim modo soli Deo orationem porrigimus, quia omnes orationes nostræ ordinari debẽt ad gratiam & gloriã consequendam, quã solus Deus largitur. Ad solum igitur Deũ recurrimus, quando petimus nostram orationem per ipsum adimplendam. Si verò consideremus orationem vt est ab aliquo impetranda, tunc dicimus quòd sanctorum subsidio & opitulatione nobis opus est, non quidem simpliciter & absolutè, sed secundum quid, supposita scilicet Dei ordinatione, nec vt per eos Deus, cui semper cuncta patent, nostras petitiones agnoscat, sed vt eorũ precibus & meritis orationes nostræ sortiantur effectum. Hæc hactenus ipse Ioannes Arboreus, magister oppidò sanè venerandus, ibi asserens diuum Thomam in 2. parte. 2. partis suæ summæ, quæstione. 82. arti.

4.in hanc venisse sententiam. Et hoc modo vtitur Ecclesia in orando. Nam à sancta & indiuidua Trinitate petimus, vt nostri misereatur: ab aliis autem quibuscunq; sanctis petimus, vt orent pro nobis. Hoc itidem refert diuus Antonin⁹ Archipræsul Florentinus in 4.parte suæ summæ, titulo.8.cap.8. paragrapho.2. Ricard⁹ quoq; de mediauilla religiosus Franciscan⁹, & hagiographiæ doctor præclarissimus, in. 4. sententiarum distin.18.arti. 4. quæstione.3.tantundem censuit, quòd scilicet quando nostram porrigimus orationem, vt ab illo cui porrigitur, adimpleatur, eam tunc, siue peccatorum veniam & gratiam, ac supremam beatitudinem, siue temporalia bona petamus, eo modo quo petenda sunt, quatenus nobis deseruiunt ad virtutes acquirendas, soli Deo porrigere debemus. At sanctos precamur, non vt credamus quòd ipsimet sua propria virtute nobis concedere valeant quod rogamus: sed vt à Deo suis meritis & precibus id

nobis impetrent concedendū: vt antea causas aßignando retulimus.

Quum igitur nostras petitiones adimpleri ab illo peroptamus quem sumus precaturi, tunc ad Deum accedamus dicentes: Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, & in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Amen. Hæc tamen præscripta dominicæ orationis verba, Deum orando proferre semper non astringimur: quanuis Valdenses hæretici asserant (vt supra meminimus) quòd oratio nulla præter dominicam à nobis dici debeat, nec vlla alia verba quàm in ea contenta proferri. Sed tota planè aberrant via. Licet enim supremus princeps quam condidit non teneatur seruare legem, ab eius tamē non se retrahit obser-

obseruantia; vt & subditos ad illam magis concitet obseruãdã. Christus ideo noster imperator, si eius omnino fuisset voluntatis, vt orando semper eisdem verbis & eodem verborum ordine quibus orationem illam dictauit, vteremur: inter orandum patrem, nunquam alia verba, nec alio protulisset modo, quàm ea quæ in ipsa oratione ab eo edita continentur: vt is nos ad id iugiter agendum mage cõmoueret, qui dixit: Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. Veruntamen quum oraret in horto, alia protulit verba dicens: Pater, si poßibile est, transeat à me calix iste. Et in cruce, Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt. Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Ac dum pro suis discipulis rogaret, hæc protulit quæ habentur in euangelio diui Ioannis capite. 17. Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi. Ipsi etiã apostoli post ascẽsionẽ domini ĩ electiõe Mathiæ

per alia verba tunc orarunt Dominum, dicentes. Tu domine qui nosti corda omnium, ostende quem elegeris. &c. Et Stephanus Protomartyr quum à Iudæis lapidaretur, pro se & lapidantibus sic orauit: Domine Iesu suscipe spiritum meũ, Domine ne statuas illis hoc peccatum: vt in Actibus Apostolorum scriptum relinquitur. Si Christus legislator & eius discipuli etiam post orationis dominicæ institutionem alia orandi forma fuerunt vsi, vt ex præcedentibus liquet, possumus & nos illorum imitatores, per alia verba, quàm per ea quæ in ipsa oratione dominica continentur, prout necessitas vrget, vel expostulat vtilitas, aut officium requirit quod exercemus, nostram formare petitionẽ, tãquam non sit necesse ad orationis efficaciam, quòd eadem oratione, aut verbis in ea penitus expreßis semper vtamur. Vnde Beatus Augustinus ad Probantiam scribit nobis esse liberum aliis verbis ab his quæ in oratione dominica ponuntur, orare, siue verba illa sint composita

(vt

(vt sunt psalmi, hymni, collectæ & orationes aliæ quæ ab ecclesia publicè proferũtur) siue sint verba quæ proprius alicui suggerat affectus, quo quis deũ priuatim alloquitur, tanquam coram eo cor suũ effundat, necessitates suas ab illo humiliter requirens, aut peccata confitens, & veniam postulans, vel auxilium petens.

Quispiam fortè quæret, Quid ita Dominus illam composuit, dicens: Sic ergo vos orabitis, Pater noster &c. si non erat eius intentio, quòd orãdo sic eam vt dictauit, iugiter diceremus? Ad hoc enim paratum habemus responsum. Nam Dominus discipulos admonens ne orantes multum loquerentur, sicut ethnici faciunt, putantes se in multiloquio exaudiri: tunc hanc breuem & succulentam contexuit orationem contra ipsorum ethnicorum errorem, arbitrantium quòd Deus persuasoriis blandisq; mulceatur & flectatur verbis, aut verborum ambagibus, ac eo quod ipse nesciat, instruatur.

Breuem

Breuem, & simplicibus verbis eam quidem edidit, non vt nos ad eam proferendã semper essemus orantes astricti: sed vt illa nobis esset exẽplo, quòd in nostris orationib⁹ essemus breuiloqui, nec faleratis verbis in eis vellem⁹ vti. Hæc etiam salutaris oratio fuit ab ipso domino breuiter edita, vt qui eam essent dicturi, ipsam facilius addiscerẽt, tenacius retinerent, citra fastidium frequentarent, & cum maiori attentione ac deuotione sæpius eam repeterẽt. Oratio illa paucis verbis (vt diuus Augustinus ait) res multiplices comprehendit, vt sic simplices sufficientiam suæ salutis addiscant. Ad hæc voluit ipse, vt hæc oratio eorum esset archetypus, quæ à deo petituri sumus, à quo nobis alia petere non licet, quàm in hac oratione comprehensa: in qua designantur omnia quæ rectè nos à deo petere possumus, & quæ nobis eum donare decet. Itaque idem Augustinus præsul sanctus, & doctor ecclesiæ sapientißimus edocet non debere nobis esse liberum alia secundum rem dicere, id est, res alias petere

quàm

quàm eas quæ in oratione dominica petũtur, si quod iustum & rectum est, orare velimus: quæcunque à nobis alia verba dicantur quæ noster affectus formet, vt ex illis inter orandum is magis accendatur, augeaturque. Quatenus ergo dixit ipse Dominus, Sic vos orabitis, illud aduerbiũ sic, non omnimodam verborum, sed significatarum rerum similitudinem importat: vt sit sensus: Sic vos orabitis, id est, verbis similem sententiã importantibus orabitis. Quare Beda venerabilis super illis verbis ait, Inter cætera salutaria monita & diuina quibus ipse Dominus consuluit credentibus, formam orandi proposuit, disciplinam tradidit: vt noster affectus qui cum deo agit, res disceret quas oraret, non verba quæ diceret. Auctoritas ergo diui Cypriani quam pro se ipsi Valdenses ignoranter allegant, quòd scilicet non solùm ignorantia est, sed & culpa, aliter orare quàm Christus docuit: ex his quæ præmissa sunt, sic

intelligi debet aliter, videlicet alio sensu vel sententia: sed aliter, id est, per alia verba eundem sensum significantia, non est ignorantia nec culpa. Nam (vt dixit Celsus magnus sanè iurisconsultus) Scire legem, nõ est verba legis tenere: sed eius sensum habere. Quomodo autem aliis verbis eadẽ explicentur sensa in dominica oratione cõtenta, sanctus Augustinus pulchra præbet exempla, primo dicẽs. Si omnia sanctarum precationum verba discurras, quantum existimo, nõ inuenies quòd dominica oratio istas non contineat & includat. Dein hoc declarando subdit.

Qui enim dicit, Pater clarificare in omnibus gentibus, sicut clarificatus es in nobis, vt prophetæ tui fideles inueniantur, quid aliud dicit quàm Sanctificetur nomen tuũ?

Qui dicit, Ostende faciem tuam, & salui erimus: quid aliud dicit quàm Adueniat regnum tuum?

Qui dicit, Dirige gressus meos in semitas tuas secundum eloquiũ tuum: vt non moueantur

ueantur vestigia mea: quid aliud dicit quàm Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra?

Qui dicit, Diuitias & paupertatem ne dederis mihi domine, sed victui meo tantum tribue necessaria : quid aliud dicit quàm Panem nostrum quotidianũ da nobis hodie?

Qui dicit, Si reddidi retribuẽtibus mihi mala, decidã meritò ab inimicis meis inanis: quid aliud dicit, quàm Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris?

Qui dicit, Aufer à me concupiscentias ventris, quid aliud dicit, quàm Et ne nos inducas in tentationem?

Qui dicit, Erue me de inimicis meis Domine, quid aliud dicit, quàm, Sed libera nos à malo? Non est ideo vllatenus hæsitandum, quin per alia verba valeamus orare, quàm per expressa in dominica oratione, si modò petitionibus in ea contentis nostra conueniat oratio. Cæterùm quod dictum est Dominum monere nos debere in orationibus no-

stris

ſtris eſſe breuiloquos, hoc non videtur ſine admiratione: quum ipſe qui dixit in Euangelio Lucæ.18. capite, Oportet ſemper orare, & non deficere: pernoctauerit in oratione: & prolixè orauerit in cruce. Apoſtolus itidem Theſſalonicenſes hortatur, vt orent ſine intermiſsione. Quomodo autem hæc intelligãtur, ſi tibi audire lubeat, oſtẽdemus. Scias velim ipſum dominũ, qui ait, Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue: nolle nos ad impoſsibilia obligare. nouit enim non eſſe nobis poſsibile ſemper actu deũ laudare, vel orare, propter multa quibus actuali cogitatione vel operatione mortales vacare coguntur. Conſiderando igitur orationem ſecundum ſe, ſeu ſecundùm orandi actum, continua nobis ſemper eſſe non poteſt. hanc ob cauſam illa domini verba, videlicet, Oportet ſemper orare, ciuiliter ſunt intelligenda, quòd ſcilicet ſtatutis horis & opportuno tempore ſemper orandum eſt. Et ita quod Theſſalonicenſes ipſe Paulus monuit, adRomanoſque ſcripſit, dicens, Teſtis eſt mihi

deus

deus quòd sine intermißione memoriã vestri facio semper in orationibus meis: exponẽdum est, quòd scilicet cõuenienti tempore orabat, & tunc eorum ante deum semper erat memor. Itaque vt dicit diuus Thomas super allegata Pauli epistola, ille semper orat, qui ad orandum statutas horas non intermittit. Id similiter intelligitur, quod Dauid filio Ionathæ dixit: Tu comedes panem in mensa mea semper. Vel secundò dici potest, quatenus oratio prouenit à charitatis desiderio, quod in nobis actu, vel saltem virtute aut habitu debet esse continuum. Omnia enim nostra opera in charitate fundari debent, Apostolo dicente, Siue manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis, omnia in gloriam dei facite. Si sobriè corpus nostrum reficimus, & congruo tempore dormiendo requiescimus quantum naturæ sufficiat, vel alia hoc facimus desiderio, quo cupimus deũ semper si (possemus) actu laudare & orare. At quãuis hoc aßiduè nostra nequeat fragilitas,

tamen ipsum in omnibus nostris actionibus honorare semper saltem virtute & habitu intendimus: quo sumus procliui tunc eum etiam actualiter orare & laudare quando statutum aduenerit tempus; vel nobis aliter opportunè vacauerit: hoc iugiter in nobis manente desiderio, nunquàm orare cessamus, etiam si dormiamus. Quis enim in eo proposito vel desiderio quod habet vigilando, semper perseuerare reputatur etiã dormiendo? vt summus pontifex asserit in Canone, Maiores, sub indice de baptismo. Vnde B: Augustinus ad Probãtiam scribens ait: In ipsa fide & charitate continuato desiderio semper oramus. Et ille non cessat orare, qui (vt inquit Glossa ĩ prima Pauli epistola ad Thessalonicenses) hac intentione non cessat benefacere. Præterea qui liberaliter eleemosynas amore dei pauperibus erogat: qui probis & religiosis Christicolis semper benefacit, & eis lubenter in suis necessitatibus auxilium præstat: nonne illis quos hoc modo ad orandũ excitat, pro eo precantibus, tunc & ipse

ipse deum rogat? quũ iuris regula dicat: Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum. Illi verò qui sunt actu orantes: si ex quodam ardẽti affectu sine multiloquio diutius orationẽ prorogant intentione: non multum loqui, sed multũ precari potius censendi sunt. Hanc ob rem inquit idẽ Augustinus: Absit ab oratione multa locutio: sed nõ desit multa precatio; si feruens perseueret intentio. Multum enim precari, est, eum quem precamur; diuturna & pia cordis excitatione pulsare. Multũ verò loqui inter orandum, est rem necessariã superfluis agere verbis. & hoc est quod Dominus dicere voluit nos monendo ne orantes multum loquamur.

Nos autem vnde digressi fueramus, reuertentes, concludimus ex superius deductis; nullatenus esse dubitandum, quòd si sancti quando in hac erant lachrymarũ valle, licet corporali essent massa grauati, variisque tentationibus agitati, nos tamẽ hic suis orationibus apud deum non parum iuuare poterant: nunc longè magis, posteaquàm ab hoc

ærumnoso seculo ad cælum illud empyreum translati sunt (vbi sine fine cum Christo regnant, & sempiternis gaudiis, ac immortali gloria perfruuntur, illic perfecta flagrantes charitate, quæ non sinit eos nostri esse immemores) suis precationibus opem nobis afferre valent: quam ob rē rex ille magnanimus Dauid contra hostes suos certaturus, ad illos milites supernos confugiendo, grandi cum fiducia clamabat: Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxiliū mihi. O perfidi hæretici, dolosæ vulpes, & rabidi canes, qui vestro maligno spiritu bona cuncta subuertere nitimini: quos blaterare non pudet, sanctos haud esse rogandos: dicatis, si quid sapitis: voluitne sanctus prophetes ob hoc dicere se leuasse oculos in mōtes istos materiales, à quibus auxilium sibi euenire speraret? Quis tam vecors sic intelligeret? Quid est igitur oculos eleuare in montes, nisi dei sanctos orare vel inuocare, ac per eos auxilium sperare? Qui metaphoricè triplici ratione meritò montes appel-

appellantur. Sicut enim montes ſuapte natura firmi ſunt & immobiles: ita illi ſuperni ciues & domeſtici dei ſunt per gratiam in perpetua fœlicitate ſolidati: vt in peccatum ſeu ærumnam vel miſeriam vllam ſe nunquam caſuros eſſe ſint certi, & omnino ſecuri. Deinde ſicut alti montes ſunt primi à radiis ſolaribus irradiati, ita illi beatiſsimi ſpiritus in primis à ſole iuſtitiæ, à ſplendore gloriæ Ieſu Chriſto magis ac magis illuſtrantur, decorantur, illuminanturque. Demum ſicut ab altiſſimo cacumine per montes lympidarum aquarum riui defluunt in imas valles: ſic & ab illo ſublimi vertice, id eſt, à ſummo deo, gratiæ per ſanctos impetratæ, in infimas valles, id eſt, in homines verè humiles affatim deſcēdunt. Sed quū rex ipſe Dauid dixerit ſe leuaſſe oculos in montes: vnde, id eſt, à quibus auxilium ſibi eueniet, ſtatim ſubdit: Auxilium meum à domino, qui fecit cœlum & terram. Quibus quidem verbis oſtendit illud auxilium, quod ſibi per ipſos

ſāctos eueniet, tūc emanaturū ab illo primitiuo & inexhausto supernæ diuinitatis fōte.

Quid ad iſta reſpondere poteſt Eraſmus? Nonne credit prophetis, ac etiam approbatis Eccleſiæ militantis doctoribus, quales ſunt Auguſtin⁹, Gregorius, Ambroſius, qui ſcribūt (vt dictum eſt) ab oīpotenti deo ſanctos, præſertim comprehēſores, adeò eſſe dilectos, vt non ſolùm pro ſuis cultoribus eos orantes exaudiat, verumetiam pro magna illorum vtilitate ipſis miracula faciendi ſæpius auctoritatē poteſtatemq; præſtet? Iſtis profectò ſanctiſſimis, ſapiētiſſimisq;, ac tantæ auctoritatis patrib⁹, imo ſāctæ matri Eccleſiæ, q̄ paſſim docet ſanctos eſſe colēdos ac inuocandos, ſi humiliter ipſe ſaperet, adhibere deberet fidē. Sed tāta eſt eius ſupbia, vt ea nimis obcæcatus, in quodā ſuo libello cuius titulus eſt, Moriæ encomion: ſuam Moriam, id eſt ſuam ſtultitiam, introducere nō formidet ſic loquentē: Cæterùm illud genus hominū haud dubiè totum eſt noſtræ farinæ, qui miraculis & prodigioſis gaudent mēdaciis vel audiē-

dis,

dis vel narrãdis. Et paulo inferi⁹ hæc sua stultitia inquit: Verùm ab his diuis quid tandem petunt homines, nisi quod ad stultitiam attinet? Ibique mirum in modum subsannat illos qui in diuorum templis anathemata suspendũt, in quibus picta scriptaq; conspiciũtur magna pericula & aduersa quibus fuerunt (sanctis pro eis rogantibus) à deo mirabiliter liberati: quam ob rem pro quadã gratiarum actione in honorẽ dei & sanctorum eius, qui tanta beneficia sibi ab ipso domino impetrauere, illa templorũ parietibus patẽter affixerunt. Non est profectò verisimile, quòd ibi huiusmodi donaria illi voluissent apponere, si ipsorũ sanctorũ intercessionẽ, quam petebant, nõ obtinuissent gratiã. Iste præterea suam magis semper augendo dementiam, hæc ibidẽ mage fatua profert: Si quis diuus fabulosior & poëticus, quòd si exemplũ requiris, finge huius generis Georgiũ, aut Christophorũ, aut Barbarã: videbitis hunc religiosius coli. Vidésne quanta sit huius arrogantia & insania? Qui quos ecclesia catho

tis titulis illi blãdientes, quos nunquã illi tribuũt sacræ literæ. Quid illi cum mari, quæ nũquã (opinor) nauigauit? Et in libello Ichthyophagiæ ĩquit, Virginẽ se credũt habere propitiam, ꝙ illi sub noctem cantiunculã nõ intellectam canunt, Salue regina, &c.

In dialogo quoq; de peregrinatione religionis ergò, bonè deus, quàm procaciter ostẽdit se perfricuisse frõtẽ, & fecisse faciẽ meretricis, dũ fingit quãdã epistolã ab ipsa virgine Glaucopluto fuisse scriptã, cuius initiũ est, Maria mater Iesu Glaucopluto salutẽ. Quòd Lutherũ secutus, strenuè suades supuacaneum esse inuocare diuos, à me quidem isto nõie magnã iniusti gratiã. Scito, &c. En quàm peruersum & nequã animum in sanctos se habere demonstrat hæc belua Lernæ, inducendo Christiphorã virginẽ ad quendã nescio quẽ Glaucoplutũ literas scribẽtẽ quibus nefandã hæresiarchæ Lutheri opinionẽ approbare videatur, qui cẽset esse supfluum inuocare diuos. Quod immo quantum sit vtile fidelibus ad sanctos cõfugere, vt pro eis

deum orent, & quàm sit hoc ipsi deo gratum, iam satis abundè suprà probatum est. Hac igitur mente illud capitulum de beata Virgine suo libello apposuisse videtur, vt tanquam excellentißimus, & singularis totius ecclesiæ magister, eam corrigat, doceatque quòd ipsam Virginem salutando non debet tam altum sibi dicere verbum, Aue regina cœlorum: sed magis depressum, videlicet, Aue regina prudentũ virginum. Nec quòd sit salutis portus, sed matrũ pudicarum decus. Verùm hic magistellus quàm sit mendax dicendo quòd beatißimæ Virgini blandiũtur illi qui eã salutãtes appellant reginã cœlorum, dominã mundi, Stellam maris, portumq; salutis: infrà manifestè mõstrabimus. In eodem quoque capitulo inter alia scribit quòd dei filius in matris vteri latebris menses decẽ gestari dignatus est. Quãuis autem Plinius in 7 naturalis historiæ libro cap. 8. scripserit quòd homo toto anno, & incerto gignitur spacio, alius 7. mense, alius 8. & vsq; ad initia decimi, vndecimiq; mẽsis, &

in

in Bucolicis Mantuanus cecinerit vates: Matri longa decem tulerint fastidia mẽses: frequentius tamen in calce nouem mensium mulieres parere consueuerunt: & hanc communem partus legem Christus nascendo seruauit. Nam sanctus pater Ioannes Damascenus in 3. libro orthodoxæ fidei capite. 7. sic inquit: Duas Christi natiuitates veneramur: vnam ex patre ante secula, quæ est super causam, & rationem, & tempus, & naturam. Alteram verò quæ in vltimis fuit temporibus propter nos, quia propter nostrã salutem: & super nos, quia non ex semine, sed ex spiritusancto & ex sancta Virgine supra partus legem: & secundum nos, quia natus est homo ex muliere, & tempore partus. Hæc Ioannis verba Magister in 3. Sententiarum distinctione. 8. exponit, dicẽs: Tẽpore partus. s. nouem mensium, quòd. s. beata Virgo in fine nouem mensium peperit Christum: vt etiam diuus Augustinus in sermone. 2. super euangelio, Missus est Angelus, refert eam decursis nouẽ mẽsibus Chri-

ſtum peperiſſe. Cõputando enim dierum numerum à vigeſimoquinto Martij die, quo fuit ipſe conceptus in ſacro virginis vtero, vſque ad vigeſimumquintum Decembris diem, in quo natus eſt, ex eo aperte patet eum non per decem menſes, ſed per nouem duntaxat in vtero fuiſſe matris. Non ergo verum eſſe videtur quod iſte ſcripſit ibi, Chriſtum ſcilicet ſub virginalis vteri latebris per decem voluiſſe geſtari menſes: niſi forſan incipiens à Martio ſecundum morem Iudæorum computare velis menſium numerum: nec tamen adhuc perfecti eſſent decem menſes.

Quòd autem dicere audeat nautas blandiri ſanctæ Virgini, illam vocantes ſtellam maris, quum illi nihil cum mari, quæ (vt opinatur) nunquam nauigauit: neſcio quis malus genius tam vehementer iſtum corripuerit, vt eum impulerit de tanta Virgine tam deriſoria verba proferre: quæ licet ſali gurgites rate ſulcaſſet nunquam, per decentiſſimam tamen ſimilitudinem Stella

maris

maris appellari certe meretur, cuius sanctum & venerabile nomen Maria, meritò sic interpretatur, videlicet maris stella: vt diuus Bernardus in secunda homilia super euangelium Missus est Gabriel, testatur, dicens, Loquamur pauca & super hoc nomine, scilicet Maria: quod interpretatum maris stella dicitur, & virgini matri valde conuenienter aptatur. Ipsa nanque syderi aptissimè comparatur: quia sicut sine sui corruptione sidus suum emittit radium, sic absque sui læsione Virgo parit filium: nec sideri radius suam minuit claritatem: nec Virgini filius suam integritatem. Ipsa igitur est nobis illa stella ex Iacob orta, cuius radius vniuersum illuminat orbem, cuius splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat: terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes quàm corpora, fouet virtutes, & excoqt vitia. Ipsa nãq; est præclara & eximia stella sup hoc mare magnũ & spaciosũ necessariò

subleuata, micans meritis, illustrans exemplis. Hæc Bernardus. Nos insuper addim⁹, quòd sicut illa stella quæ præ cæteris coruscans supereminet mari, firmamentóq; firma manens, Aquiloni nauigãtibus contrario, sua virtute resistit, ac ipsis nautis fauẽs, eos in obscura nocte suo fulgenti lumine dirigit, & adiuuat varijs procellis agitatos: sic hæc lucidißima Virgo gratia cunctisq; repleta virtutibus, & sanctos omnes excelsis præcellẽs meritis, ac (vt diuus Hieronymus inquit) super cælestes exaltata choros, sublimataque ineffabiliter ad regni vsque solium, & post Christum gloriosa residens, cum eóque in perpetuum regnans, nos hoc in seculo velut in procelloso pelago mille subiacentes periculis, ab alto benignè prospicit, illuminat, fouet, liberat, nobis aduersantia propellens: nos inquam sua gratiosa benignitate ad salutarem denique perducit portum: id quod ille Mantuanus & religiosus vates in hoc sensu sic illi verißime cantat:

Tu licet à nostro spacijs ingentibus orbe

Disiun-

Disiungare, suos quantū polus eleuat ignes:
Non tamen humanos casus oblita, tuumq;
Nil pertæsa genus, vigili mortalia cura
Suspicis: & lachrymæ tangunt tua pectora nostræ.

Tu placidū terris sidus, quod liberat omnes
A pelagi feruore rates, quod luce benigna
Saturni Martisque graues eliminat iras.
Tu nobis Helice, nobis Cynosura: per altū
Te duce vela dam⁹ port⁹ habitura secūdos.

Nec minus verè Tiphernus illud ei cecinit carmen.

Sæpe procelloso iactatis æquore nautis
Dirigis in portum stella serena ratem.

Hoc etiam sacratißimum Mariæ nomē præter illam interpretationem, qua Maria dicitur maris Stella, siue illuminatrix, idiomate Syro Domina (vt diui Hieronymi & nonnullorū est sententia) interpretatur: quibus astipulatur Reuerendus pater Ioannes Damascenus peritißimus theologus, quòd scilicet Mariæ nomen Dominam significat, quoniam reuera domina facta est omnium

creaturarum cum conditoris omnium effecta est mater. Hæc ille. Ergo ipsa mundi domina, & cœli regina iure vocari potest: quam sacer Hieronymus in sermone de illius assumptione sic appellat, dicẽs, Regina mũdi hodie de terris, et de præsenti seculo nequã eripitur. Item diuus Augustinus in sermone de eiusdem assumptione ita ipsam alloquitur: Tibi thronus regius ab Angelis collocatur in aula æterni regis. Beatus quoque Bernardus abbas in sermone de eadem solennitate, Ascendens (ait) in altum Virgo beata, hominibus & ipsa bona dabit. Quid ni daret? Si quidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cælorum est, misericors est. Idem inquit, Ascendens de deserto regina mundi, etiam Angelis sanctis (vt ecclesia canit) speciosa facta est & suauis in delicijs suis. In secundo etiam Pentecostes sermone ita refert, Beatam te dicent omnes generationes, Genitrix Dei, Domina mundi. Ipse autem Erasmus in illo suo precationum libello

bello eandẽ virginẽ alloquẽdo dicit, Pater te sibi sponsam delegit. Etenim sponsæ à suis sponsis nomina capiunt dignitatum. vnde imperator, qui solus nuncupatur Augustus (hoc enim apud Romanos, vt Egisippus libro quinto testatur, est nomen imperij, ab augendo dictum, quod etiam pro nobili, sacro, & maiestatis pleno ponitur) sponsam suam eodem nomine honoris gratia venerabilem Augustam appellat, vt in libro Imperialium Institutionum sub indice de vsucapionibus patet: & Paulus ille magnus iurisconsultus in libro Digesti veteris sub titulo de legibus, asserit quòd princeps Augustæ sponsæ suæ eadem priuilegia tribuit, quæ & ipse habet. Ergo quum sit beatissima Virgo sponsa æterni patris, qui omniũ creaturarum Dominus est, Rex, & Imperator, illam dominã, & reginam, & imperatricẽ mundi, cœlorũ, ac angelorũ vocantes, sibi non blãdiũtur, ut falsò mẽtitur Erasm⁹, sed à titulis eã nominant spõsi cœlestis, quos ipsum voluisse illi communicare pro eius ho-

nore vniuersalis ecclesia valde rationabiliter arbitratur : quæ tunc maximis ab illo pricipe summo fuit donata priuilegijs, quãdo gratia fuit repleta, super cunctas mulieres benedicta, spiritu sancto perfusa, virtute altißimi obumbrata, ac dei mater effecta, vt sacræ literæ testantur; quibus quidem à mortalibus tantæ Virgini maiora non possent tribui. Et ideo beatus Augustinus in sermone secundo de assumptione eiusdem Virginis sic eã alloquitur, O fœlix Maria, & omni laude dignißima: O virgo dei genitrix gloriosa: O sublimis puerpera: cuius visceribus auctor cœli terræque cõmittitur. Quid dicã pauper ingenio, quũ de te quicquid dixero, minor laus est, quàm dignitas tua meretur? Si cœlum te vocem, altior es: quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. Si matrem gentium dicã, præcedis. Si formam Dei appellem; digna extistis. Si dominam Angelorum vocitem, per omnia te esse probaris. Verè fatemur te Reginam cœlorum, pro eò quòd peperisti regem

An-

Angelorum. Quid ergo de te dignè dicam, quid referam, quum nõ sufficiat lingua carnis tuas enarrare virtutes? Et in eodem sermone paulò inferius ita refert: O vere beatæ Mariæ humilitas, quæ deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, cælos innouauit, mũdum purificauit, paradisum aperuit, & hominum animas ab inferis liberauit. O inquam vere gloriosa Mariæ humilitas, quæ porta paradisi efficitur, scala cæli constituitur. Facta est certè humilitas Mariæ scala cælestis, per quã Deus ad terras descendit. Quæ quum sit igitur Dei genitrix, nonne meritò dicitur fons seu mater gratiæ, mater misericordiæ, portusq; salutis; quòd Christum Deum & hominem in suo sacro portauit vtero, genuitque nobis, qui est author gratiæ, qui est misericordia, & salus nostra, dicente Propheta, Misericordia mea, & refugium meum, susceptor meus, & liberator meus, salus mea es tu? Vnde diuus Bernardus in sermone de aduentu Domini eã sic precatur, Per misericor

diam quam peperisti. Dum verò ipsa sacratissima Virgo in suo cantico dicit: Quia fecit mihi magna, qui potens est: diuus Augustinus in eodem sermone reuerenter eam interrogat, dicēs, Quæ tibi magna fecit, Domina? Quæ, gloriosa Virgo, vt dici beata merearis? Puto enim, immo veraciter credo, vt creatura ederes creatorē, vt per te Deus mundum redimeret, per te illuminaret, per te ad vitam reduceret. Si deus ideo per Mariam mundum redemit, illuminauit, & ad vitam reduxit: nonne per Mariam tunc illi magnam gratiam & misericordiam fecit? Quæ metaphoricè portus etiam salutis dici potest: quia sicut in portus receptaculo, ad quem perueniunt nauigantes, cum suis mercibus saluantur: ita sanctissimæ Virginis precibus & auxilio saluari possunt ad eam syncero corde confugientes: quæ quum Archangelo teste, Dominus sit secum, potest omnia, quæ vult posse, quatenus ipsa æternam illam prospicit voluntatem: quæ sibi maiorem potestatem,

longeque

longeque maiora vult concedere, quàm cæteris sanctis. Hoc igitur huic tam venerandæ matri reginæque potenti valde conuenit carmen, quod in eius honorem sanctus ille cantauit cœnobita.

Te deus & terræ fecit, cœlique potentem.
Et tibi Cocytus cum Phlegethõte subest.
Signa tenes regni, fuluum caput induit aurum:
Virgineã decorat regia virga manum.
Albicat intactum niueo velamine corpus:
Et tenuem pingunt aurea mala togam.
Aurea nõ sterilẽ demõstrãt mala puellã:
Indiciũ candor virginitatis habet.
Hæc duo significãt (q̃uis natura repugnet)
Quòd paris illæsa virginitate Deum.
Lucida bisseno tibi frons innectitur astro:
Atq; sedes alto glorificata throno.
Sole micant humeri, fulgentibus vndique flammis,
Et niueos vestit candida Luna pedes.
Maxima spirituũ legio tibi seruit, & vltro
Cœlestes volitant ad tua iussa chori.

Ad hæc ipſa Virgo ſacroſancta verè dicitur vita & ſpes noſtra. Vita primò poſt Deum vocatur: quoniã per eam fructũ vitæ percepimus, quem ipſa, immo per eã Deus nobis communicauit: quemadmodum in eius præconium ſancta cecinit eccleſia hac ſacra laudatione, Per te, dei genitrix, eſt nobis vita perdita data: quæ de cœlo ſuſcepiſti prolem, & mundo genuiſti ſaluatorem. Et hac rurſus confeſſione laudis: Benedicta filia tu à domino: quia per te fructum vitæ communicauimus. Vnde beatus Auguſtinus in præſcripto ſermone ait: Benedicta in mulieribus, quæ vitam & viris & mulieribus peperiſti. Mater generis noſtri, pœnam intulit mundo: genitrix domini noſtri, ſalutẽ attulit mũdo. Eua occidendo obfuit, Maria viuificando profuit. Illa percuſſit, iſta ſanauit, quæ nobis veram vitam protulit. Cur ideo non dicetur etiam vita propter vitalis muneris ab ea in nos ſuperbenignam deriuationem? Sic & ſpes noſtra dicitur eadem ſanctiſſima Virgo, non quidem primaria vt

Deus

Deus: ſed poſt deum ſecundaria, & inferiore quodam gradu: quòd in ea confidentiã noſtram proximè poſt deum collocamus, ad eamque ſperando confugimus, vt quum peccatis noſtris Deum concitauimus ad nos puniendum, illa aduocata noſtri amantiſsima, Deoque gratiſsima, ipſum (vt firmiter ſperamus) ſit nobis reconciliatura, & gratiam impetratura vberiorem, qua vitã ſpiritalem, & ipſi Deo gratam, hic ita ducere valeamus, vt poſt mortem, æternam vitam habere mereamur. Non igitur ab re Virgo ſacratiſsima ſpes vocatur & vita noſtra. Nam vt Iudocus Clichtoueus doctor theologus, & vir quippe ob mellifluam eius eloquentiam, & ſanam doctrinam, ac vitæ ſanctimoniã, omni veneratione & laude dignus, in ſuo pulcherrimo libello ſcribit, ibi vniuerſalis eccleſiæ ſententiam de veneratione & inuocatione ſanctorum contra malignantes hæreticos egregiè defendendo, multa ſunt quæ in ſacris literis Deo primùm attribuuntur, & illa quidem per

quandam deriuationem & defluxum dicuntur de creaturis ipsis, & angelis, & hominibus, quadam tamen diuersa ratione. Paulus enim ad Timotheum scribens dicit solum Deum esse potentem, & tamen Psalmographus ait, Benedicite dominum omnes angeli eius, potentes virtute. Christus verò licet in euangelio responderit adolescenti, Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus: in alio tamen euangelio dixit: Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum. Ipsi filio Dei tota ecclesia cantat, Quoniam tu solus sanctus: & tamen diuinus psaltes inquit: Timete dominum omnes sancti eius. Et dominus in Leuitico: Sancti estote, quoniam sanctus sum. Christus quoque in euangelio clamat: Ego sum lux mundi. qui etiam suis discipulis ait, Vos estis lux mundi. Ecce quòd multa prædicantur de Deo, quæ creaturis etiam tribuũtur, sed diuersimode. Solus enim Deus potens, bonus, & sanctus est, summa, primitiua, ac

absoluta

absoluta potentia, bonitate, & sanctitate: Angeli verò & homines boni, potentes, & sancti sunt secundariò & deriuatiuè, ac per quandam participationem contractionemque quam habent à Deo ex eius gratia, vt tales sint. Sic & Apostolos lucem mundi esse Dominus intellexit: qui vt Deus, est ipsa lux increata, à quo etiam natura angelica fuit creata: quæ (vt Sententiarum Magister in secundo eius libro refert) in scriptura sæpe dicitur lux & vita. Cur & beatissima Dei mater, quæ est Angelorum domina, non potest dici vita & spes nostra, ea quam suprà retulimus ratione decentissima? Sic & hæc inclyta Virgo rationabili quadam similitudine lux & sol vocari potest. Sol autem dicitur, quia cunctis sideribus solus est excellentior, fulgentiorque: hæc quoque virgo singularis, virtute, gratia, meritis, potestate, præmijs, & gloria cūctos præcellit sanctos. Sicut non est nisi

sol vnus in toto mundo, ita nec in cælo nec in terra vnquam fuit, nec est, nec erit vlla mulier virgo & mater, nisi virgo Maria: quæ semper virgo manens, vera Dei genitrix est appellata. Sicut sol est sidus ab æterno lumine creatum, præ cæteris longè magis luminosum, & totius orbis calefactorium: itidẽ hæc admirabilis & magnifica Virgo ab illo superno & diuino lumine super puras omnes creaturas magis illuminata, flagranti charitate Christianũ calefacit, & suis sanctißimis exemplis stupendisque miraculis fouet, illustrat, ac illuminat orbẽ: de qua diuus Ambrosius verè scripsit, quòd in ea scilicet, prudentiæ, sapientiæ, castitatis, humilitatis, charitatis, totiusque sanctitatis vndique refulget exemplum.

Præterea sicut illud luminare maius ab omnipotenti Deo in cæli firmamento situatũ est, fuitq; semper sine macula & corruptione, adeo vt nulla vi valeat nec potuerit vnquam violari siue corrũpi, nec aliquo sordium tactu vllatenus coinquinari: similiter

illa

illa Virgo purißima in matris vtero sine vlla originalis peccati labe concepta, nulla vnquam potuit (æterno patre penitus ipsam præseruante) criminis primorũ parẽtum vel alicuius alterius sordis pollui contagione. In hoc enim mirabili sole, ipsius æterni patris filius tabernaculum suum positurus erat, vt ille Dauid diuinus vates prophetauerat dicens: In Sole posuit tabernaculum suum. In cuius laudem Carmelita vates venerandus olim hæc non immeritò condidit metra.

Quòd si siderei tanto splendoris honore
Fulget, vt æterno qui tẽperat ordine mundũ,
Gestarit gremio, lactauerit vbere, dulci
Strinxerit amplexu, summoque vocarit olympo:
Quare illam in nostras opus est detrudere sordes,
Cui pater æthereas mẽtes subiecit, & astra?
Scrutandum potius, si quæ præconia iungas
Eius ad inuentas per plurima secula laudes.

Hæc est igitur illa Virgo sacrosancta, quæ iure dicitur vt sol electa. Sol quidem e-

clipſim neſciens, ſol de cœlis terram proſpiciens, ſol peccati nubes diſcutiens, ſol ab illo ſublimi & primitiuo ſole prodiens, ac lunã ſub pedibus habens. Luna nanque nonnunquam eclipſim patitur, quandoque fit cornuta, aliquando etiam æqua proportione dimidiatur, & in lucidum amplumq́; pedetentim redigitur orbem: poſtea paulatim deficit, & opaca demum pro tẽpore latet, dein noua poſt aliquod apparet tempus. Itaque mutabilis eſt & inconſtans, in eodem nũnquam permanens ſtatu: & ob id Eccleſiaſticus inquit, Stultus ſicut luna mutatur. Idcirco per lunam ſenſualis hominum mutabilitas, qua ipſi à bonis operibus ſæpe deficiunt, vitæ præſentis inſtabilitas, fluxæ voluptates, & tranſiens huius gloria mundi, ac fortunæ viciſsitudines deſignantur: quæ quidem cuncta hæc virgo prudentiſsima ſapientiſsimáque ſemper ſpreuit vt contemptibilia, neglexit vt inutilia, pedibúsque concul cauit vt vilia: quæ nunc amicta ſole, id eſt,

in cælesti regno sublimata, & glorificato induta corpore, vt regina triumphans prædominatur huic labili & mortali vitæ. Pulchra tamen etiam vt luna esse fertur, quòd sicut illa sui fulgoris pulchritudinem ab hoc visibili recipit sole, ita omnis huius virginis gloriosissimæ pulchritudo sibi ab illo inuisibili & altissimo prouenit numine: cui non ab re dominus ipse cunctipotens ait, Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Hanc etenim, quam omni ditauerat virtute, & ab omni peccato immunem fecerat, ab omni pulchritudine meritò laudat, dicens: Tota pulchra es, ab originali peccato in matris vtero præseruata. Tota pulchra es, in corde per profundam humilitatem. Tota pulchra es, in opere per columbinam simplicitatem. Tota pulchra es, in corpore per virginalem castitatẽ. Et macula nõ est in te, nõ solum lethalis peccati, verùm nec etiam venialis. Quum verò tota sit, semperq́ pulchra fuerit, ex hoc ideo bene ĩfertur, quòd

nullam peccati vnquam contraxit labem. quocirca eam Dominus in Cãticis ſæpe ſuã non ſine cauſa vocat amicam, dicẽs: Ecce tu pulchra es amica mea. Surge propera amica mea, columba mea, formoſa mea. Quàm pulchra es amica mea? Cur eam ſolùm toties appellat amicam ſuam? Agathe, Catharina, Agnes, Cæcilia, Margareta, aliæque quamplurimæ virgines integerrimæ propter deum crudelem pati potius voluere mortem, quàm ſuam illi dedicatam amittere virginitatẽ. Nõne & ipſæ ab illo ſuævocari meruerũt amicæ? Meruerũt quidem, ſed non vt diua Parthenice, quæ inter alias rationes quare præ cæteris per quandam antonomaſiã ſola dei vocetur amica, hæc vna eſſe poteſt: nam non eſt nec vnquam fuit aliqua pura & humana creatura, quæ aliquando per originale vel actuale peccatum deo non fuerit inimica, excepta virgine Maria, quæ quum ſemper ab omni crimine fuerit immunis, nunquam ab eius gratia ce cidit, ſed in ſuo iugiter mãſit amore. Quam

ob

ob rem quum nunquam ipsi domino fuerit inimica, immo illi vtique amica gratissima: ipsa sola semper illius meruit amica vocari: de qua idem etiam in Canticis ait, Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Virgo beatissima ob eius puritatem, gratiam, pulchritudinem, & innocentiæ candorem, lilio iure comparatur, quod sicut supereminet spinis, sic illa superat filias omnes ab Adam originem trahentes. Nam sicut concepta & nata fuit absq; originali peccato: ita semper vixit etiam sine aliqua lætalis & venialis peccati spina. Hæc igitur sola nitidissima Virgo est illud singulare lilium quod omnes superans spinas, à nulla vnquã peccati spina fuit læsum. Hanc ideo almam Virginẽ venerabilis ille religiosus Adam meritò sic salutat.

Salue verbi sacra parens,
Flos de spina, spina carens.
Flos spineti gloria.
Nos spinetum, nos peccati
Spina sumus cruentati.

Sed tu ſpinæ neſcia.

Terra inſuper, ex qua formatus eſt primus Adam, ſine vlla fuit corruptione, ſine maledictione, nunq̃ ſpinas, neq; aliquid aliud produxerat nocuũ, nec vllũ humanũ hauſerat cruorẽ, nec vllorũ ſepultura fuerat cadauerum, nec ſerpentũ tactu ſeu morſu fuerat vllatenus infecta. Ita quoque decuit alterum Adam, Ieſum Chriſtũ ſcilicet, ex ea terra naſci: quæ à nulla concupiſcentiæ carnalis contagione eſſet polluta: quæ nulla peccati contractione fuiſſet contaminata, nec alicuius malæ cogitationis vnquam fuiſſet receptaculum: quæ neque ſerpentis perſuaſione decepta, nec eius venenoſis afflatibus eſſet aſperſa. Hæc autem terra eſt Virgo Maria, terra ſancta, terra benedicta. Benedixiſti domine terram tuã, dixit prophetes. Benedixiſti, id eſt ab omni labe peccati præſeruãdo ſanctificaſti, fertilemque fecíſti terram, id eſt virginem Mariam: quæ terra verè dicitur propter conſtantiæ firmitatem, & eius profundam humilitatem, ac admi

randam

randam fœcunditatem: qua mundo fructum protulit valde salutarem. Benedixisti terram tuam domine, tuã, à te electã & præelectam, tibique præseruatam, vt aliquando ex ea nascẽdo, tua fieret mater: cui in hoc sensu hos quandoque lusimus versiculos.

Mundi spes fœlix, æterni sponsa tonantis:
Tu generi humano monstrasti prima salutem.
Tu seruatorem clausisti mater in aluo
Artificẽ, gnatumq́; tuũ: quem fudit ab alto
Corde pater. meritis pro tãtis soluere dignas
Quis tibi iam posset grates celeberrima Virgo?
Innumerasq́; tuas laudes quæ lĩgua referre,
Angelicæ quas nec possunt attingere cantu
Cœlesti mẽtes? igitur mea musula quid vult
In radios ægras acies attollere Solis?
Musula, quæ tenuis terrestri pectore serpit,
Quid vult cœlestis præconia maxima diuæ
Tãgere? Quis potius fulgentia sydera cœli,
Littoris & steriles poti⁹ numeraret arenas,
Quàm laudes regina tuas æquare canendo

Vox humana queat: Sed si mitissima rore
Exhaustā mentē digneris spargere sancto:
Ipsa nouas sumet cātās tibi carmina vires.
Imbribus ergo meum cor clemētissima sacris
Inspergas (quæso) quicquid suggesseris, illud
De te nos prompto gaudentes ore canemus.
Illa fuit tellus nullo polluta cruore,
Anguis nec morsu, nulloq; infecta veneno:
Qua primus formatus homo: sic cōgruit esse
Te sacrosanctā semper sine crimine terrā:
Quæ penitus sine labe nitēs effunderet orbi
Solem iustitiæ Christum: qui luce perenni
Nos oēs lustrans, redimensq; a faucibus orci
Morte sua nobis patefecit limina cæli.

Quòd autem hæc superbenedicta Virgo fuerit sine originali labe in matris vtero concepta, hoc vniuersalis ecclesia in Basiliensi concilio ritè congregata iamdudum solenniter diffiniuit, statuendo quòd nulli cōtrariū prædicare seu docere decætero liceat: sanctum cuius decretum hîc annectere decreuimus.

Sacrosancta generalis synodus Basiliēsis

in

in ſpiritu ſancto legitimè congregata, vniuerſalem eccleſiam repræſentans, ad perpetuam rei memoriam. Elucidantibus diuinæ gratiæ myſteria mercedē glorioſam repromiſit æterna dei patris ſapientia, dum ait: Qui elucidant me, vitam æternā habebunt: Quod etiā de glorioſa Virgine, quæ ipſam patris ſapientiam dei filium æternū in vtero pertulit, ac mundo peperit, ſacroſancta legit eccleſia: Nā quicquid de dignitate & ſublimitate Virginis matris educitur in lucē, hoc non dubium eſt ad laudem & honorem filij ſui pertinere. Et qui honorificant gratiā & ſanctitatem matris, honorificant & elucidant nomen filij eius: qui ipſam ſanctificauit & repleuit gratia. Vnde ſi in cæteris rebus elucidatio veritatis (quæ à domino deo eſt) præclara merita parturit: in ea re ſpecialiter fructus vberrimos afferre ſperāda eſt, quæ ſanctificationem & dedicationem templi illius concernit, in quo ante ſecula, antequam terra fieret, & ab æterno ſibi manſionem ordinauit prima & æterna ve-

ritas. Idque maximè congruit. vt pax habeatur in quæstionibus sanctitatē illius concernētibus, per quam pax diffusa est in terris. Hactenus verò difficilis quæstio in diuersis partibus & coram hac sancta synodo super conceptione ipsius gloriosæ virginis Mariæ matris dei, & exordio sanctificationis eius facta est: quibusdam dicentibus ipsam Virginem & eius animam per aliquod tempus, aut instans temporis subiacuisse actualiter originali culpæ. Aliis autem è conuerso dicentibus, à principio creationis suæ, deum, ipsam diligendo, gratiam eidem contulisse, per quam à macula originali, illam beatissimam personam liberans & præseruans, sublimioris sanctificationis genere redemit, quum fundaret eam ipse altissimus, & ipsam fabricaret filius dei patris, vt esset mater eius in terris. Nos verò diligenter inspectis auctoritatibus, quæ iam à pluribus annis in publicis relationibus ex parte vtriusque doctrinæ coram hac sancta synodo allegatæ sunt, aliisque plurimis super hac re visis, & matura consideratione

pensatis, doctrinam illam, differentem gloriosam virginem dei genitricem Mariam (præueniēte & operāte diuini muneris gratia singulari) nunquam actualiter subiacuisse originali peccato; sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa, sanctamq́; & immaculatam: tanquam piam & consonam cultui ecclesiastico, fidei catholicæ, & rationi sacræ scripturæ ab omnibus catholicis approbandam fore, tenendam & amplectendam difinimus & declaramus, nullique de cætero licitum esse in contrarium prædicare seu docere. Renouantes præterea institutionem de celebrāda sancta eius cōceptione, q̄ tam per Romanā: q̄ alias ecclesias sexto Id⁹ Decēb. antiqua & laudabili cōsuetudine celebratur: statuimus, & ordinamus, eādē celebritatē præfata die in oībus ecclesiis, monasteriis, & cōuentibus christianæ religionis, sub nomine cōceptionis festiuis laudibus colendam esse, cunctisq́; fidelibus verè pœnitentibus & confessis ea die missarum solennis centum, primis vel secun-

dis vesperis totidem: sermoni verò verbi diuini de eadem festiuitate interessentibus centum quinquaginta dies concessione perpetua omnibus temporibus duratura de iniunctis sibi pœnitentiis hæc sancta synodus elargitur. Datum in sessione nostra publica in maiori ecclesia Basiliensi solenniter celebrata decimoquinto Calendas Octobris millesimo cccc.tricesimonono.

Summus quoque pontifex Sixtus quartus in quadam sua extrauaganti sub indice de reliquiis & veneratione sanctorum situata, quæ prima sic incipit, Quum præexcelsa meritorum insignia, &c. diuinum synceræ conceptionis ipsius virginis officiũ à reuerẽdo viro magistro Leonardo de Nogarolis clerico Veronensi specialiter editum & ordinatum approbat, commendatq́;, & ad illud celebrandum vel audiendum in solenni festo tantæ conceptionis cunctos Christi fideles inuitat ibi, dicens: Dignum, quin potius debitum reputamus vniuersos Christi fideles, vt omnipotenti deo, cuius prouidẽ-

tia eiusdem virginis humilitatem ab æterno respiciens, pro reconcilianda suo auctori humana natura lapsu primi hominis æternæ morti obnoxia, eam sui vnigeniti habitaculū sancti spiritus præparatione constituit, ex qua carnem nostræ mortalitatis pro redemptione populi sui assumeret, & immaculata virgo nihilominus post partum remaneret: de ipsius immaculatæ virginis mira conceptione gratias & laudes deo referant, & institutas propterea in ecclesia dei missas, & alia diuina officia dicāt, & illis intersint, indulgentiis, & peccatorū remissionibus inuitare, vt exinde fiant eiusdē virginis meritis & īterceßiōe diuinæ gratiæ aptiores Hac igitur consideratione inducti, eiusdem omnipotentis dei, ac beatorū Petri & Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, Auctoritate apostolica hac in perpetuū valitura constitutione statuimus & ordinamus, ꝙ omnes & singuli Christi fideles vtriusque sexus, qui missam & officium conceptionis eiusdem virginis gloriosæ iuxta piam, deuo-

tam & laudabilē ordinationem dilecti filij magistri Leonardi de Nogarolis clerici Veronēsis notarij nostri. Et quæ desuper à nobis emanauit missæ & officij huiusmodi institutionem in die festiuitatis conceptionis eiusdem virginis Mariæ & per octauas eius deuotè celebrauerint et dixerint, aut illis horis interfuerint: quoties id fecerint, eandem prorsus indulgentiam & peccatorū remissionem consequātur, quam iuxta fœlicis recordationis Vrbani quarti in Cōcilio Vienensi approbatam ordinationē, ac Martini quinti, & aliorum Romanorum pontificum prædecessorum nostrorum constitutiones, consequuntur illi, qui missam & horas canonicas in festo corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi à primis vesperis & per illius octauas iuxta Romanæ ecclesiæ institutionem celebrant, dicūt, aut missæ officio & horis huiusmodi intersunt, præsentib⁹, perpetuis temporibus valituris.

Quapropter immaculata Deiparæ Virginis conceptio, vbique etiam ex rationabili

&

& non parum laudanda consuetudine totius Christiani orbis magna cum solennitate colitur, obseruaturque, cui deus optimus maximus tot admiranda tribuit priuilegia, quot nunquã alicui puræ creaturæ concessit, nec cõcessurus est, vt vates Mantuanus verè cecinit.

Nulli adeò viuax animi facundia, nulli
Tam fœlix aderit florentis gloria linguæ:
Vt Mariæ posit laudes æquare loquendo,
Quæ data sunt illi, nullis mortalibus vnquam
Antea concessit, vel post concedet olympus.

Hæc verò purissima Virginis Conceptio multis etiam fuit comprobata miracuculis: quæ omnia referre quum nimis longum esset, ea præter, vnum prætereo, quod religiosi duo Cælestini ordinis viri sanè graues & probissimi ac auctoritatis non exiguæ, in eorum relgiione Parisius nobis olim narrarunt. Nam quum quidam meus discipulus, iam vnicus cuiusdam ditissimi mercatoris filius, illorum religionem

fuisset ingressus, & ibi in sacerdotem promotus, in iuuenili ætate migrasset à seculo: tunc illos interrogauimus qualis erat illius vita dum in cœnobio hac vitali vescebatur aura. responderũt eum adeò sanctum fuisse religiosum, vt dies sui obitus adhuc dum esset incolumis, diuinitus fuerit sibi reuelatus. à generali enim suæ religionis primario ille aliquando vocatus vt iret secum ad cœnobia Gallicæ prouinciæ visenda, mox respondit se paratum, si posset eius parêre mãdato: sed quum à maiori potestate alteram prouinciã fuisset interim adire iussus, excusationẽ suã admittere dignaretur. primarius autem hæc audiens, non parum miratus est, illumque credebat magis delirare, quàm vera dicere: & ipsum quem alioqui prudentem & cordatum nouerat, tanquam fatua loquentem in suo dimisit arbitrio.

Dein huic religioso fuit iniunctũ, vt per hebdomadam in ara maiori quoque die tanquam hebdomadarius missam cantaret: qui tunc dixit, Incipiam quidem, sed finire

non

non potero: quia vocor aliò. Tertia ab illinc die inuasus à febre in lectulo recumbere fuit coactus: qui se cito moriturum præuidens, cõfeßionis & eucharistiæ sacramenta repente suscepit. instabat vt etiã vnctionis sacramentum sibi ministraretur extremæ, verùm medico & religiosis non adeo videbatur ægrotus, vt adhuc indigeret eo. At ille supplici voce rogabat, vt id sibi conferre nõ magis differrent. quod quum suscepisset, statim erat spiraturus. Cœnobij vero præpositus, aliique cœnobitæ ibi astãtes, licet pluribus de causis eum non moriturum coniecturarent, sed potius sperarent recõualiturum: tamen ne tristitia, quam ex hoc cõcipere videbatur, ipsum magis affligeret, eius petitioni annuentes, ægroti corpusculum oleo sancto vngere cœperunt: & quum ad extremũ vnctionis actum deuenissent, probißimus ille religiosus illico breui cum suspirio spiritum suo reddidit creatori. tũc ex cunctis monasterij religiosis illic congratis vnus alta voce præter solitum mox in hæc prorupit ver-

ba. O fœlix anima quam portant angeli ad cœlestia regna.

Ab illis insuper quæsiuimus quodnã pecculiare bonum præ cæteris operari videretur iste frater Nicolaus à prato (hui⁹ nãque nominis erat & cognominis) vt aliis fratribus sanctior cẽseretur? Retulêre, quòd non erat aliquis in cœnobio, qui beatæ virginis videretur amantior, nec illius honori cultuique magis deditus, quam iste, qui inter multa in honorem ipsius virginis ab eo gesta, hoc vnum fecit, quod religiosis patribus visum fuit satis admirãdum: qui quum ex diuersis cœnobiis Parisium conuenissent ad generalem conuentũ ibi in eorũ monasterio celebrandum, vnumquemque illorum separatim hic frater Nicolaus rogauit, vt quum esset in capitulo vnà cum aliis, sibi luberet annuere, quo diuæ Parthenices immaculatæ conceptionis octaua dies in eius laudem quoque anno in toto cœlestinorũ ordine celebraretur, coleretur q́;. Sed licet quilibet hoc se facturum abnegasset, dicens sat

esse,

esse.quòd ipsius conceptionis festum in vniuersa cælestinorum religione solenniter obseruabatur,quum istud enim nouum sit & insolitum euitandæque sint nouitates, huius octauæ diei celebratio minimè introduci debebat.Ipse tamen Dei gratia & eius matris auxilio fretus,dum illi omnes in communi eorum conuentu pariter essent congregati,vt ibi negotiis totius suæ religionis consulerent, coram eis hãc rem iterum proposuit, supplicando, vt suam petitionem admittere dignarẽtur.Mox cuncti vna voce consensère,statueruntque vt id fieret,ac perpetuò esset in toto eorum ordine obseruatum, quod anteaquàm vna conuenirent,fieri penitus abnuerant.Itaque ab illinc in hãc vsque diem octaua dies conceptionis sanctissimæ virginis Dei matris,in cũctis cælestinorũ ecclesiis semper opportuno tẽpore fuit celebrata.Cæterũ frater hic animaduertẽs se id tãdẽ obtinuisse,ꝙ iãdudũ poptauerat,magno fuit delibut⁹ gaudio,& ingressus viridariũ, inde rubicõdã rosã cæteris pulchriorẽ excerpsit,

psit, quam ante Dei genitricis imaginẽ (non nullis ex suis religiosis cernentibus) reuerẽter apposuit, dicens: Benigna mater, si hoc quod hodie in nostro generali capitulo pro honore tuo fuit statutum, est tibi gratũ, hunc florem anno reuoluto ad hanc vsque diem in hoc conspicuo vigore ac fragranti odore in quo nunc conspicitur, tua benignitas (humiliter quæsumus) cõseruare dignetur. Multi ex religiosis florem illum in sequenti anno & tali die quo ibi fuerat affixus, viderunt æque virentem ac redolentem, atque si tunc fuisset selectus ab horto, vt illi religiosi de quibus supra mentionem fecimus, mihi retulerunt, asserẽtes etiam semet hoc vidisse miraculum.

Hæc scribere volui, vt noster Erasmus ex his ostendatur confusus, qui ipsam innocentissimam virginem non tantum originali peccato fuisse obnoxiam, sed & actualis non fuisse expertem contendere ausus est, cui plures viri doctissimi verè & doctè responderunt, apertè sibi ostendendo suos errores:

præ-

præſertim Albertus ille nomine reque Pius Carporum quondam comes inclytus, qui in eo opere aureo quod aduerſus hunc Eraſmum mira cõdidit arte, quantum hic fatuus in hoc, ſicut & in plurimis aliis, ſtulte locutus ſit, & patenter errauerit, veriſſimis rationib⁹, hagiographiæ teſtimoniis, ac ſanctorum patrum ſententiis, qui ſunt doctrina iudicioque clariſſimi, itidem & auctoritate & ſanctitate conſpicui, liquidè comprobauit.

Quum autem caput illud de diua parthenice ſolum cum quadam eius laude, & non de aliis ſanctis ſic mentionem faciens, in illo ſuo precationum libello Eraſmus ipſe collocauerit, nonne in illo eam ſaltem reuerẽter inuocat, ſe humiliter ſuæ benignitati cõmendando, quòd ipſa pro eo dominum roget, vt cæteri chriſticolæ facere cõſueuerũt? Nequaquam. Cur ergo illud ibi ab eo inſertum eſt? Vt is, qui nullatenus vult eſſe gregarius magiſter inter cæteros, oſtendat cæteris quòd Beata virgo ſolum ſine aliqua eius inuo-

catione, precationéve sic laudari debet, prout ibi dictauit iste proteruus apostata, qui posteaquam deposito sanctæ religionis habitu à sacro beati patris Augustini egressus est cœnobio, nunquam cessauit quocunq; modo illudere, detrahereq́; sanctis & comprehensoribus, & viatoribus, inter quos existũt probißimi religiosi suorũ fundatorũ, regulas diligenter obseruantes: Sed ꝙ ei non placeat nos sacratißimã rogare virginẽ, hoc alibi apertè magis ostendit, vbi redarguit diuini verbi promulgatores, qui in principio sui sermonis ipsam virginẽ paßim salutare solent, & in calce ipsius salutationis, hæc (preserim apud Italos) adduntur verba. Sancta Maria virgo & mater Dei ora pro nobis. Iste vero temerarius præsumptor hunc tam laudabilem & antiquum morẽ vultuosè sugillat dicẽs: Si virgo Maria est fons gratiæ, Quid opus est illi dicere ora pro nobis? Non est probabile eam consuetudinẽ a grauibus viris inductam, sed ab inepto quopiã, qui quod didicerat apud poetas propositioni succe-

ſuccedere inuocationem, pro muſa ſuppoſuit Mariam. hæc ille, qui piè nolens ſapere, piorum verba ſemper ſua impietate nititur ſubuertere. Poteſt in illo ſenſu profectò Dei mater dici fons gratiæ, quem ſuprà monſtrauimus Hoc igitur nullatenus obſtat, quin eã rogare debeamus, vt Chriſtum Ieſum quem nobis genuit gratiarum actorem, pro nobis iugiter oret, quam in principio narrationis ſacri ſermonis reuerenter ſalutare quàm ſit probabile plurimi doctores peritiſſimi monſtrarũt illi, præcipuè Petrus Sutor theologus ſanè doctiſſimus & Carthuſianæ religionis obſeruantiſſimus cultor, qui in eo libello, quem aduerſus nouos Anticomaritas doctè & eleganter ædidit, optimas adducit rationes, cur fœliciſſima virgo ſit tunc in primis ſalutanda & friuolis argutuli huius Eraſmi, ſuiq; ſequacium bene reſpondet argutiis, eas ex facili retundendo. Si enim licuit Angelo tam mirabile opus, propter quod ad virginem

venerat, ab ipsa salutationem incipere, cur non licebit concionatori prædicationem ad populum ab ea auspicari? Nunquid pluris est popularis cõcio, quàm illa Gabrielis Archangeli legatio? Minime. Quod ergo licuit Angelo, licere debet & prædicatori, præsertim quũ in exordio sermonis soleat signũ crucis cum inuocatione sanctæ Trinitatis ab eo præmitti. Nec valet illa ratio qua sic illi argumentantur, Digniora enim præponenda sunt. Oratio autem dominica dignior est salutatione Angelica. Ergo illa est ante ponẽda. quibus hæc facilis traditur responsio: Digniora quidem præponenda sunt, nisi decẽs suadeat ratio, vt illis minus digna nõnunquam præponãtur. En in missarum celebratione prius diui Pauli epistolæ, vel ex Biblia quandoque lectiones seu prophetiæ, quàm sancta Dei euangelia cantantur, & in dextra altaris parte, hæc vero in sinistra, non iam ob hanc causam, vt illæ sacro euãgelio reputentur digniores, sed (vt reuerẽdus in Christo pater Guillelmus Durãdus Metensis

tensis antistes in suo rationali refert) Primo ad denotandum per epistolam, quæ semper ante Euangelium legitur, quòd Ioannis baptistæ prædicatio, qui præiuit ante faciẽ domini parare vias eius, præcessit Christi prædicationem quæ per euangelium designatur: Insuper lectio vel epistola quæ ante Euãgelium cantatur in missa; Mosaicæ legis gerit typum, quæ Christi præcessit euangelium, sicut vmbra lucem, timor charitatem, & initium perfectionem. Euãgelium enim lex amoris, gratiæ, & perfectionis existit. Quatenus autem in parte altaris dextra, vtpote magis digna, legitur Epistola; hoc fit ad significandum, quòd lex ipsa fuit Hebræis tunc solum fidelibus data, Euãgelium verò ex altaris dextra transfertur ad sinistram, & ibi legitur: quo quidem significatur, quòd Iudæis Christi verbum spernentibus, illud per Apostolos prædicatũ fuit gentibus per sinistram figuratis. Proinde diuus Paulus Hebræis inquit. Vobis oportebat prius prædicare verbum Dei, sed quia re-

repulistis illud & indignos vos iudicastis, Ecce conuertimur ad gentes. In nostro itaque proposito nos quoque hac subsequenti ratione possumus dicere, quòd sicut cælestis nuncius, qui sanctæ virgini nunciaturus erat, æternum Verbum in eius vtero pro salute humani generis incarnandum, illam premisit honorificentißimam salutationẽ, vt ostenderet illi, quàm esset grata æterno patri, quum eam præ cæteris mulieribus elegisset ad concipiendum gignendumque vnicum eius filium, Qui mũdum redempturus, miseris mortalibus verbũ salutis esset prædicaturus. Ita prædicator euangelicus diuini verbi angelus Euangelium Christi populo nunciaturus, beatißimã virginem eadem salutatione Angelica tunc salutat, vt ipsum populum tantæ salutationis præambuli quidem illius diuinæ annunciationis, quæ fuit principium nostræ salutis semper magis memorem reddat,

dat; & vt ipsa virgo sic humiliter salutata, Deum, cui super omnes sanctos est gratissima; lubenter oret, quod sibi concionatori populo Dei verbum nuncianti, illud salutare verbum olim carnem in sacro eius vtero factum; inter prædicandum imprimendi gratiam concedat in cordibus auditorum pro salute eorum. Sicut igitur angelica salutatio, quæ per longum tempus anteaquàm oratio dominica fieret, à Deo fuit inspirata, & ab ipso cælesti angelo pronunciata, sacram illam æterni verbi precessit annunciationem: Ita par est, vt illa semper in tanti misterij iugem memoriam, diuini verbi præcedat narrationem Euangelicam ab angelo euangelico, ipsius verbi nuncio fiendam. Hac igitur ratione tunc non congruit, nec oportet orationem dominicam præcedere; quæ nec in principio cuiuscumque boni operis est semper necessariò proferenda. Fuit enim quondam in Gerundinensi consilio statutum, vt

illa post matutinas & vesperas semper à sacerdote proferatur: & ita ĩ primitiua ecclesia obseruabatur, vt cõtinetur ĩ canone id semper, in. 8. consecrationis distinctione. Et in sacrificio missæ orationes multæ & ante & post panis ac vini consecrationem dicuntur priusquam dominica incohetur oratio: quam beatus Gregorius paulo antequã sacerdos missam celebrans sacram sumat communionem, dici instituit: quatenus virtute ipsius orationis & efficacia magis præparetur ad dignam tanti sacramenti manducationem. In illa enim ea petuntur bona, quæ hac communione dignum efficiunt: & mala remoueri postulantur; quæ communicantis auferunt dignitatem. Si Deum in quocunque opere bono inuocare opus est: Euangelicus concionator à signo crucis, sanctam inuocando trinitatem, semper incipit exordium, quo quidem peracto, anteaquam euangelicum incipiat exponere verbum, cõgrua ratione (vt dictum est) populum tunc ad angelicã salutationem inuitat, & ideo pro-

probiſsimi concionatores hanc eccleſiæ conſuetudinem valde honeſtam & rationabilem ſeruantes, eam non à poetis, ſed à ſancto ſpiritu, à quo eccleſia ipſa ſemper regitur & illuſtratur, fuerunt edocti.

A poëtis, quorum eſt fingere, Eraſmus ipſe multis in locis ſuorum librorum, in dedecus ſanctorum mentiri didicit, & figmēta ludicraque componere, præſertim de ſacroſancta virgine, quam nulla ratione habita maieſtatis ſuæ ſemper colendæ, fingendo introducit ſcribētem ad quendam Glaucoplutum epiſtolam figmentis ac delirantibus verbis repletam. illam quoque alibi inducit has gerras proferētem. Ab vna poſtulantur omnia: quaſi filius meus infans eſſet, quia talis fingitur pingiturq́; in ſinu meo, vt ex nutu matris adhuc pendeat; neque quicquam auſit negare petēti, videlicet metuens ne ſi quid neget roganti, ego viciſsim ipſi negem mammam ſitienti. Cur iſte tam poetice malignanterque finxit illā Dei matrem tam ſanctam & ſapientem, hæc

ſcurrilia ioculatoriaque loquentem, quæ non ſolum ludicra, verum & blaſphema eſſe videntur? Quis enim chriſticola timoratus & non temerarius, auderet ſic de Chriſto & eius matre iocari? Nonne moralis ille philoſophus Seneca rectè monet dicens? de Deo, & principibus parcè, & timidè, ac reuerenter loquendum eſt. Quis inquam fidelis & humilis etiam iocando dicere vellet, chriſtum timore materno poſſe flecti ad id concedendum, quod aliter non eſſet conceſſurus? Qui quum ſit Deus & homo glorioſus, immortalis, omnipotens, & incommutabilis, nullatenus timore, nec prece, nec vllo alio modo ab aliqua creatura flecti poteſt, vt aliter ſeu aliâs, vel aliud agat, vel concedat, quam vt Deus ab æterno diſpoſuerit, ſeu ordinauerit ſe conceſſurum, ſiue facturũ & cui, & vbi, & quoties, & quomodo & quando. Quocircà diuus Gregorius in primo dialogorum libro, ſcripſit, quod non ob hoc oramus. vt diuinã diſpoſitionẽ immutemus, ſed vt id impetremus: quod Deus

disposuit per orationes sanctorum esse implendum: vt scilicet homines postulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens sic ante secula disposuit donare. Itaque id sancti impetrant (vt diuus Thomas inquit) quod Deus vult fieri per orationes eorum, & hoc ipsi petunt, quod æstimant suis orationibus adimplendum secundum Dei voluntatem.

Adde quòd iste latenter etiam in hoc ecclesiam carpere videtur, quatenus Christũ infantem paruulum in matris gremio pingi permittit: Quasi filius meus infans esset, quia talis fingitur, pingiturque in sinu meo, vt ex nutu matris adhuc pẽdeat &c. Verũ nullatenꝰ hac de causa immo potiꝰ alia ratione diuersa penitus hoc ab ipsa Ecclesia permissum est, Quum enim (vt in sexta sanctorum patrum synodo scribitur) venerabiles Christi & sanctorum eius imagines ad eorum memoriam & recordationem pingantur, quò fideles & illorum & cuiuscunque Christi status, quando in hoc

versabantur seculo, semper magis sint memores. Hanc ob rem Christus ipse modo infantulus effingitur in præsepio, vt eius natiuitatis frequentius habeatur recordatio, ab idiotis præcipuè, quibus hoc præstat pictura cernentibus, quod scriptura legentibus. Modo puer in maternis pingitur vlnis, vt eius puerilis memoretur ætas. In alta itidem arboris cruce illius nudum corpus & vulneratum sæpißime nobis per picturam vel statuam repræsentatur, vt tanti nostræ redemptionis beneficii memoriam iugiter habeamus. Propterea sacri canones Christi & sanctorum eius imagines siue statuas abradi vel confringi omnino prohibent. In publico enim pictæ seu positæ fuerūt vt illas cernentes sint memores eos venerari, quos illæ repræsentāt, & ad vestigia eorū imitāda magis prouocētur. Solebāt nanque gentiles (vt apud historicos legisse memini) in magnum illorum decus simulachra publicitus erigere, quos præclaris alios præcellere gestis arbitrabantur,

tur, prout illi Gorgiæ Leontino: qui quũ summus esset philosophus, de omni re quæ in disceptationẽ quæstionemq́; vocaretur, etiam ex tempore cum omnium admiratione copiosissimè ac disertißimè disceptabat, auream statuam in Apollinis templo erexerũt. Plutarch⁹ quoque refert quòd spectabile magni Alexandri Gadibus visebatur idolon: quod olim Iulius Cæsar contemplando, secumque diligenter animaduertendo, ipsum Alexandrum in sua iuuenili ætate multa memoratu digna geßisse; cum gemitu tunc effudit lachrymas. cuius rei causam sociis admirantibus, nónne (inquit) iure dolendum est, quum huius ætatis Alexander tot gentes suo subegisset imperio, qua nullũ adhuc præclarum facinus ipse gesserim? His demum stimulis incitatus ad magna peragenda se mox accinxit. Sed si ethnici aliquos ex suis, quos virtutibus illustres esse censebant, tantis prosequebãtur honoribus, vt eis publicitus aureas erigerent statuas, ex quarũ inspectione multi ad præclara obeunda vehementer inflammabantur:

mabãtur: eis inquam, in quibus nõ vera nec perfecta, sed erat quædam adumbrata virtus. Quid nos erga ciues illos cælestes facere debemus, qui quãdo hac vescebantur aura, vera sapientia, religione, iustitia, pietate, & omni denique virtutum cumulo resplendebant! Quanto magis nos illorum laudes, & præconia celebrare debemus, mirãda eorum gesta publicè recitãdo, illisque imagines & statuas pingendo, constituendoq; quibus moneamur ad virtutes sectandas, scelera que fugienda. Si enim in honorem terreni principis & ad perpetuam eius memoriam, statuas vel imagines sibi ius erigi permittit: quo etiam cauetur, quòd ad ipsius principis statuam vitandi metus causa fugientes propter illius reuerentiam penitus sint tuti: Vt in L. Et si quando sub indice, de statuis & imaginib⁹, & in L. vnica. sub titulo, De his qui ad statuas confugerunt, in libro Codicis imperatorij continetur. Cur in honorem Iesu Christi, & in laudem virginis Mariæ eius genitricis & mundi dominæ, aliorumq; diuorum

uorum cœlestiũ ſtatuas marmoreas,argenteas, vel etiam aureas publicitùs erigere non licebit:Vnde optimus ille pater Damaſcenus de ſanctis venerandis agens,ſic inquit. Statuas illis erigamus,ac viſibiles imagines, & nosipſi animatæ ſtatuæ,ipſorũ virtutum imitatione efficiamur: Nam eorum fortia facta,quum à nobis lecta ſeu conſpecta fuerint:nos illorum conuerſationem tunc attendentes, plurimum excitant præparantq; ad emulãdum eorum fidem, bonitatẽ, ſpem, zelum, vitam, & vſque ad ſanguinem paſſionum tolleratiam: vt & nos demum cum ipſis æternæ gloriæ participes efficiamur. Nec illius aſſertio eſt vllatenus admitenda: qui imaginũ venerationẽ hac futili potiſſimum dãnat ratione, q.ſ: huiuſmodi ſtatuarũ bono ratio quãdã præ ſe ferre videtur idololatriã, & vicinũ quippiam habere cultui ſimulachrorũ. Hanc enĩ cauillationẽ idẽ D. Ioãnes damaſ. theologus verè doctiſ. in 4. de fide orthodoxa, ca. 17. prorſus eneruat & inualidã eſſe liquido demõſtrat: quũ tradit imagines ipſas ſecundũ ſuã materiã minimè adorari

uentus trecentorum quiquaginta antiſtitum eſt Nicææ celebratus, vt ſemel decerneretur, eſſént ne Sanctorum imagines in templis colendæ: tunc magno omnium conſenſu decretum fuit, vt Romanæ eccleſiæ ritu in templis haberentur, colerenturque, & eſt addita colendi forma duobus carminibus complexa, vt res ab omni idololátriæ ſuſpicione abeſſet. viſuntur hodie verſus hi Venetiis in aurea æde figurati vetuſta literarũ forma, vt ex græco fuerant in latinum verſi.

Nã de⁹ eſt, qđ imago docet: ſed nõ deus ipſa:
Hanc videas: ſed mente colas quod cernis in ipſa.

Hi quoque duo verſiculi eandem ferè ſententiam continent.

Effigiem Chriſti qui tranſis, pronus honora:
Non tamen effigiem, ſed quod deſignat adora.

Itidem & hi quatuor.

Eſſe deum ratione caret cui contulit eſſe
Materiale lapis, effigiale manus.
Nec deus eſt, nec homo, præſens quam cernis

imago,

Sed deus est & homo quem sacra figurat imago.

Qui igitur imaginẽ crucifixi, Deiparæ Virginis, aut cuiusuis sanctorũ indignè contrectant, aut afficiunt contumeliis atq; inhonorant, quoniam illud redundat in ignominiã & contenptũ eius: quod tali imagine figuratur. Hi profectò nefarij, scelesti, sacrilegi, & læsæ maiestatis rei, pœnas ingentes dare merentur. Si Theodosius olim mortalis imperator Antiochenorum ciuitatẽ omni priuilegiò, dignitate, ac ornamentis spoliarit, eò quòd illi eius statuam euertissent: & ob hoc illorum vrbem etiam æquare solò decreuerat, nisi cuiusdam sanctissimi sacerdotis precibus fuisset placatus, vt diuus Ioannes Chrysostomus in suis refert cõcionib⁹: Quid Christus deus & homo verus, rex regũ, & dominus dominantiũ potẽtissimus, illis faciet qui eius imaginẽ seu statuam vel sanctorum suorum effigiem (quibus ipse quandoque dixit: Qui vos spernit, me spernit) temerare fuerint

rint

rint ausi? Nonne Philippicus imperator fuit ob hoc grauiter punitus? Nam vt Platyna refert in vita Cõstantini pontificis, & Sabellicus magis affatim ĩ secũdo volumine Rhapsodiæ suarũ historiarũ scripsit ipsum Philippicum edixisse: vt sanctorum statuæ & imagines ex omnibus templis raderentur. Hoc impium principis postulatum tanta animorum indignatione fuit Romæ auditum; vt non modò pontifex imperata non fecerit, sed Philippicum (id populo magnis clamoribus petente) schismaticum iudicauerit, iussitq;, vt in nulla re diuina publicóve aut priuato actu eius nominis aut imperij mentio fieret, nec diu pestis illa est imperio potita, sed haud multò postquàm hæc tam impiè mouerat, exitum quem debuit, sortitus est: Sexto enim mense, quo imperare cœperat, ab Arthemio captus, & imperio & luminibus priuatus dedit, suæ impietatis pœnas. At Theodosius ĩperator catholicus, diuorũ imagines à Philippico Cõstan-

pere attinet rimari. Humili certè genere, & ex infima plebe fuiſſe ortum, fama conſentit, ſed qui natalium obſcuritatem veluti alter Heroſtratus incenſor delubri Epheſiæ Dianæ inſigni ſcelere illuſtrarit, immortali quadam infamia nominatiſsimus. Hic igitur quum alioquin natura præditus eſſet maligno ingenio, factus eſt etiam vltrò tam licentia quàm conſuetudine peccandi, deterior. Neq; flagitiis tantum: ſed etiam infamia ipſa delectatus in luſtris & tabernis ætatem agebat: fuit autem appetentiſsimus ludi: ex quo pleraque viciorum genera tanquam vermes è putri cadauere vbertim erũpunt: præcipuè verò impietas erga deum inde naſcitur: Qua duce Schelkropf tantum nefas admiſit, quantum vix omnibus retrò ſeculis auditum eſt. Quum enim aliquando volens pro conſuetudine ſua fortunam ludo experiri, quoſdam etiam ſui ſimiles ad eius rei communionem illexiſſet (nam ferè nunquam in magna ciuitate complices peccaturo defuêre) itum eſt ab illis in quoddam

ſcelus abominabile iamdudum animo conceptum, mox effudere concupiſceret: quamprimum ergo ad id ſacelli peruenit, hanc imaginem crucifixi diſſecuit ita vt ne vllatenus hæreret quidem. Mox diuæ virginis aliorumque ſanctorum ſignis cruci aſtantibus cæſim & punctim pleraque vulnera inflixit, haud abſimilis lupo, qui maiore interdũ cædis libidine quàm fame percitus, ouile indefenſum graſſatur. hactenus Schelkropf debacchatus eſt. Quæ verò ſequũtur; ad vindictam diuinam, & miraculũ ipſum pertinent. Terrificus enim & admirabilis ille cruor, quem hic tibi videre licet, ſubito ex vulneribus à crudeliſsimo illo ſicario paſsim illatis, effluxit: ceu non lignea ſimulachra ſed viui homines eam iniuriam perpeſsi fuiſſent. Schelkropf autem iam expleta impietate ſua, ſiue nutu Dei affixus, ſiue ipſo cruoris miraculo exterritus, inde pedem non mouit, donec à ſuperuenientibus in flagranti crimine deprehenſus; & in vrbem Magũtinã captiuus deductus, nõ iam ſuæ ſed diui-

næ iræ memor, anxiusque metu pœnarum: quas paulòpost dedit, non flagitio suo respondentes (nõ enim tantæ impietati par supplicium excogitari poterat) sed quas homini homines infligere debuerũt: viuus enim in conspectu populi exustus est, non longè ab vrbe, eo in loco quem iudæorum arenam vulgo appellant: quòd Iudæi quondam cadauera sua illic humare solerẽt. Hac morte impiißimus ille Schelkropf consumptus est. Imagines verò vulneribus & cruore insignes, ab ædicula illa veteri ad hoc templum summa veneratione sacerdotum manibus translatæ fuerunt, vbi in hodiernum vsq; diem terrificus ille cruor visitur, & admodum religiosè colitur, multique mortales variè afflicti, susceptis votis, dei optimi maximi clementiam experti, & salutem adepti sunt.

Prænominatus autem Comes in octauo eius libro respondens quibusdam friuolis argumentis, quibus inuehitur Erasmus contra sacras imagines, illa facillimè confutat, & ostendit apertè quàm sit imaginũ vsus Christiano

ſtiano populo vtilis & peropportunus: multa quoq; narrat miracula apud Chriſti, & ei⁹ matris, ac aliorũ diuorum imagines ſeu ſtatuas patrata, quæ ex grauißimis & doctißimis auctoribus excerpſit: qualis eſt Athanaſius antiſtes alexandrinus, qui libellũ ſcripſit continentẽ ſtupendum miraculum, quod prouenit ex noſtri ſaluatoris icone, quando Iudæi in quadam vrbe Syriæ, quæ Berithus nuncupatur, cunctas in eius imagine pœnas renouarunt, quas olim ſui maiores ipſum dominum crucifigentes, ei intulere, & quum vnus illorum, ſacratißimæ eius ſtatuæ latus transfodiſſet, quam Nicodemus ille, qui ad Ieſum nocte venerat, quondam propriis compoſuerat manibus: mox inde ſanguis & aqua largiter emanauit, adeò vt hydria ſtatim fuerit repleta, quam illi mira rei nouitate ſtupefacti in ſuam ſynagogam detulerunt, vbi quoſcunque ægrotos, & paralyticos, & cæcos, ac quacũque alia infirmitate detentos, aqua illa & ſanguine miraculoſo aſpergebãt, ea ſalubri aſperſione ſubitò peni-

tusq; recuperata sanitate ad ꝓpria redibāt incolumes. Ipsi verò Iudæi tā mirādo ꝓdigio cōpūcti ad Christi fidē illico cōuolarūt. Sanctus quoq; Ioannes Damas. in 4. lib. de fide orthodoxa tradit: ꝙ Abagarus rex Edessenorum, quū grauiter esset ægrotus, nec dominū Iesum videre posset, quē cernere vehemēter cupiebat, tunc pictorem misit vt ipsius domini similē pingeret imaginē. Non valēte autem pictore ob resplendentē faciei suæ claritatē id perficere, volens benignissimus dominus pio regis affectui satisfacere, pictoris vestimento suā faciē abstergēdo, sui ipsius imaginē ad viuū impressit, eamq; illi trāsferendā ei tribuit. Porrò huic historiæ de efformatione imaginis propriæ faciei à Dn̄o in vestimēto pictoris facta, & Abagaro missa, astipulatur B. Augu. in lib. de doct. Christia. vbi refert memoriæ proditū esse, ꝙ etiā Lucas euang. Dominū nostrū & sacratissimā eius matrem depinxerit. Adhuc extant duæ tabellæ in quib⁹ D. Lucā beatissimæ Virginis effigiem pinxisse ferunt. vna istarū seruatur

Romæ

Romæ in templo sanctæ Mariæ in ara cœli, quam olim, quum in vrbe tanta sæuiret pestis propter aerẽ caliginosum & valde corruptum, adeò vt ibi omnes ferè paßim morerētur: beatus Gregorius tempore paschali dum publicæ supplicationes agebantur, per vrbem portari iußit. per quæcunque autem loca hæc admodum veneranda ferebatur imago, omnis ipsius aëris caligo funditus cessabat & infectio, eiusque salubris claritas vndiq; cernebatur, & iuxta ipsam imaginẽ publicitus angelorũ audiebãtur voces canẽtiũ. Regina cœli lætare, alleluya. Quia quẽ meruisti portare, alleluya, Resurrexit sicut dixit, alleluya, Tunc sanctus Gregorius repente subiũxit, Ora pro nobis deũ, alleluya. Hæc reuerẽdus in Christo pater Guillelmus Durãd⁹ Metẽsis antistes ĩ Rationali diuinorũ off. scripta reliq̃t, lib. 6. & ca. 90. Altera verò icona ꝓpe Felsinã custoditur in venerabili oratorio cuiusdam cœnobij sanctimonialium in montis cacumine situati, qui vulgo mõs Guardiæ nominatur, Et sacellum

illud in honorẽ diui Lucæ dedicatũ eſt, à quo Bononienſes imaginẽ illã quondã in tabella effigiatã fuiſſe prædicãt. Quã quotannis ꝑ triduũ ante aſcẽſionis dominicæ feſtũ magno cũ honore ſacri flamines in publicis ſupplicationibus ꝑ vrbẽ gerũt, & ad illã tunc ingẽs Bononiẽſis populi piè & reuerẽter fit cõcurſus, cui ipſa piẽtiſſima Virgo beneficia non exigua continuò præſtat, vt etiã in Baſilica ibi in vico Galleriæ ſibi dicata, vbi eius quotidie ſacra veneratur imago: quod quidem plurima dona ab illis, qui ab ea gratias impetrarunt, ei oblata, teſtantur.

Quum olim in Bituricenſi gymnaſio ius pontificium interpretaremur: tunc à Biturigibus miraculum admiratione dignũ Beatam virginem ibi patraſſe didicimus, quod adhuc gratia perennis memoriæ in ædis ſacræ parietibus pictum & in eius auleis cõſpicitur textum, quæ ſita Bituris, Eccleſia ſanctæ Mariæ fornacis calidæ paſſim vocatur, eò quòd ab ipſa illud in ardenti fornace fuerit geſtum, Qua cum domo iudæi penitus à po-

à populo postmodum prostrata in honorem diuæ virginis ecclesia prælibata ibi tunc fuit erecta, vt Petrus Rossetus vates veridicus suo resonanti cecinit metro, qui in frontispicio sui poëmatis ipsum miraculum prius summatim sic narrauit.

Apud Bituriges puer quidam fuit corporis & animi præstantia admodum insignis; Iudæo patre vitreario natus, & pueris christianis familiariter vsus atque à patre flagellis persæpe cæsus: Quòd Christianorũ cõsuetudine nequaquã vti desineret: is enim semp eisdẽ inhærens cœptis, in die Paschæ cum pueris Christianis, quos potissimũ amabat, ad ædem sacram proficiscitur, cui placidè ante aras astanti virginis Mariæ effigies subripsit: cuius pulchritudine supramodum puer oblectatus ad aram properat, atque sacratissima Eucharistia suppliciter vescitur: lætusque domum repetit. Postquam illum pater sacratissimo Eucharistiæ cibo vsum fuisse comperit, è vestigio eum crudelissimè pugnis cæsum in flagrantem forna-

à sarracenis vltra mare fuisset capt⁹, et ĩ dura seruitute catenatus detineretur, adeò vt illinc euadere se posse nũquã speraret, nisi superna esset adiutus gratia: Ad matrẽ ideo gratiæ toto corde cõfugit, eã secũ sic hũiliter orãs: Benignißima virgo, quã domin⁹ tanta repleuit gratia, vt eã valeas, quã vis, & cui vis, facere gratiã, qua licet propter peccata mea nõ sum dign⁹, in tua tamẽ magna pietate cõfidẽs, ad illã cõtrito corde cõfugio, à qua sed in primis à tuo filio humiliter veniã peto, cui⁹ misericordia longè maior est, quã offẽsio mea. Ab illo igitur mihi dulcißima mater meorũ criminũ remißionẽ impetra quæso, & me tã duris vinculis (vt vides) hic alligatũ, liberare ac ĩ patriã tutum reducere digneris, te precor, cui si tam grande beneficium mihi conferre libuerit: ab hoc crudeli ergastulo cũ fuero liberatus, famigeratum illud tẽplum in agro Baiocensi tuæ maiestati dedicatum, eo in loco, qui vulgariter ab indigenis Liurandia dicitur, in quo Christicolis illuc vndique confluentibus &

opem tuam confidenter implorantibus, tuæ liberalitatis lubenter aperis manum, quàm primũ reuiſam, ibique facta prius delictorum meorum confeßione, tuam ſacroſanctã imaginem amore tui religioſiſſimè(quãtum mihi fuerit poßibile,)colam,& tuæ benignitati quas potero, ſemper agam gratias, nec vnquam tantum beneficium, quod mihi contuleris in honorem tuum cunctis predicare ceſſabo: His autem dictis dum nox eſſet intempeſta, Is dormire cœpit, aderant ibi cuſtodes & alij magno ſopore grauati, dumque profundè dormirent omnes, ecce mirum. catena craſſa & ferrea ab illa parte, qua ab eius dependebat collo, ſtatim diſrupta cecidit, nec vllus præter eum illius cadentis audiuit ſonitum, à quo ſolus ipſe ſubito fuit excitatus, qui ſolutum ſe videns, pedepreßim & clanculum terga dedit, cuiꝰ collum non aurea torque, ſed melio ſtrictim circundabatur, cui catena quæ ceciderat, iam prius fuerat affixa, quod quidem collare omnino ferreum erat & adeo firmatum ac tali

li arte confectum, vt reserari non posset nec lima vllatenus conteri, Quum enim illa faber id terere tentabat, inde ignis ardens in eius faciem prorumpebat, hic pauper homo, licet esset tanto pondere pressus, ad sacram tamen sanctæ virginis ædem incolumis denique (illa duce) peruenit, vbi in primis sua peccata (vt pollicitus fuerat) sacerdoti confessus est, ibique almam parthenicem humillimè salutauit, & illi quas potuit, egit gratias, quòd à tanta eum asseruisset captiuitate, dum verò flexis genibus ante illius aram cum lachrymis ipsam rogaret, vt tantum pondus sibi grauißimum à se remouere dignaretur, en ferreus vectis, quo vinculum illud asperrimum continebatur astrictum, celeriter à foraminibus cum magno exiuit crepitu, nec is inueniri potuit vnquàm, collare tunc apertum, penitus ad terram festinanter suo pondere tractum est. Hic vero bonus peregrinus tam graui pressura omnino liberatus, Deo optimo maximo, eiusque beneficentißimæ matri pro tanto munere cum in

riuntur mala, & peccatorum omnium ſpinæ producuntur. Iſte igitur ſolus exiſtens horrearius ſuum diligenter clauſerat horreum. Illud autem quodam die dominico reſerauit, vt ingreſſus magna cum voluptate ſua frumenta contemplaretur: Verum reperit horreum non muſculis, ſed muribus velut Indicis repletum, totum eius triticum rodentibus, corrumpentibusque, qui eum agminatim mox inuaſère, cunctaque illius membra mordere cœperunt. Hic tunc miſer omni humana deſtitutus ope, ſtatim clamauit. Nunc peccaſſe cognoſco, me pœnitet. Sācta Maria de Liurādia opitulare mihi, et ab inimicis meis me libera quæſo: à furibundo quorum impetu ſi (te adiuuante) fuero liberatus, tuum templum quoque dominico die me reuiſurum polliceor, & procurabo quòd ibi ſemper illa die miſſa in dei & tui cātetur honorē. Poſt hæc dicta ipſum mures illi repentè liberum reliquerunt, ſeq; retrahentes penitus euanuere. Tunc ille nō

parum consolatus, Deo & sanctæ virgini gratias egit & ad eius sacram se contulit ædem, illucque deinceps vsquequo vixit, die dominico semper fuit in propria, vt, quod fuerat pollicitus, syncera fide seruaret, Qui denique post multos annos moriens suo mandauit hæredi, vt ad illud diuæ virginis venerabile templum, per se vel per alterum accedere tali die nunquam prætermitteret, ibique missam de beata continuè faceret celebrare, Quod quidem (vt ab eiusdem ecclesiæ sacerdotibus intellexi) in hunc vsque diem iugiter fuit, & adhuc est obseruatũ. Itaque (vt communi fertur adagio) intellectum tribuit vexatio: Eo enim die, quo bonus iste mercator ad ecclesiã ire debuerat, vt ibi suorum se pœniteret peccatorum, & pro salute sua illic audiret diuina, se tũc conferre maluit ad horreũ, vt ibi cum quadam inani gloria cerneret suas fruges, quas nimia cupiditate obcæcatus famelico populo distribuere noluerat, haud dubiè à muribus illis fuisset consumptus, si diuina non fuisset adiutus ope.

Nec

Nec admirando, quæras vnde tot & tanti emanare potuerũt mures: Nam si Heliogabalus imperator Roman⁹ olim (vt Platyna refert in vita Vrbani pontificis summi) Romanis exhibuit decem milia murium tãquã quoddam pulchrum spectaculum, Nõne qui quondam ranis totam repleuit Egyptũ, muribus replere potuit auari hominis granariũ, vel fortaßis (permittente Deo) tot maligni spiritus fictitiã huiusmodi animaliũ assumpserant formã, Hoc etenim exemplo vtinam cupidis animaduertere detur auaris, quantum ipsi Deo displiceat eorum auaricia, qui & fide & charitate carentes, longe pluris faciũt sæculares diuitias, & alia temporalia bona, quam suorum proximorum animas & corpora, quapropter in auarum Rossetus vates mellifluus, hos verè cecinit versus.

Nulla fides, æqui nihil, haud pudor vllus auaro,
Nullus amor cœli, spreti pietatis honores.
Nullus amicitiæ locus, haud vis pectoris vlla.

n *Aliud*

Aliud quoque tantæ virginis miraculũ silere non possumus, quod quidam meus Italus nomine Paschinus nobis aliquando retulit, qui ex oppido Brixiano, quod Lunatum vocant, erat ortus. Hic peractis domi puerilibus annis Parhisium se contulit studendi gratia, vbi adeò profecit, vt tandem effectus fuerit medicus satis peritus. Eo enim tempore, quo Parhisiis morabar, sæpius ad nos veniebat. tunc ex facili prospeximus, quàm probus esset & modestus. Demum fuit inuitatus à quibusdam oppidanis prope Carnotum ei salariũ sat honestum pollicentibus, vt eorum esset medicus. Apud illos igitur officio medendi diu fungẽdo, multum pecuniarum fuerat superlucratus: quas vt parentibus suis pauperib⁹ tutè portare posset, eas in interiori diploide consuit, deinde quandam superinduit camisiam, quæ prius tetigerat beatissimæ virginis subuculam in Carnotensi templo iandudum seruatam. Ex eo enim illius subucu-

læ tactu firma fide credebat ipsam virginē ab omni periculo & infortunio præseruaturam corpus suum, & cuncta eius bona, quæ sub illa tegerentur interula: sicque quadragesimali tempore cum tribus mercatoribus Italiam versus arripuit iter: qui quum denique territorium Mediolanense fuissent ingreßi, quandam adiuerunt cauponā prandendi causa, & Paschinus vnà cum illis; quos audentes vesci carnibus ille redarguit, & ipse solus (spreta carne) comedit pisces, eisque dixit: Vereor ne nobis hodie ob hoc aliquid accidat mali. illi verò eum deridebant. Peracto autem prandio simul omnes quatuor equitates, ad quendam pagum Hispanis militib⁹ occupatū deuenere, qui mox eos circundantes suos equos in primis abstulerunt, dein vnicuique mercatorū ensem, pecunias, galerum, sotulares, tibialia, chlamydem & diploidem vsque ad interulam hostiliter rapuere. At Paschinus beatā virginē orans, seque illi cōmēdās, quū milites impij eum itidem spoliare vellent: cū

lachrymis rogauit eos, vt amore Dei & sanctæ Mariæ matris eius intactæ, sinerent eum illæsum abire. Tunc vnanimiter clamarunt, euge, euge, nos (equo solum retento) te intactum abire permittimus, diuina virtute illos ad agendum sic misericorditer secum, credo firmiter, impellente, Nam (vt Lucanus verè canit)

Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur

Amisso igitur dumtaxat equo, quem iã quatuor aureis emerat, illis annuentibus recessit, Deo & eius gratiosæ matri secũ gratias agens, quod nullatenus fuerat (vt illi miseri mercatores) dehonestatus, nec tanto affectus damno, verumtamen, quum vir esset pius & humanissimus, non poterat (vt postea regressus ab Italia dixit nobis) nõ esse tristis, propter tantam suorum comitum iacturam, licet eam passi fuissent (vt opinabatur) forsan ob eorum culpam, quia comedere carnes in quadragesima fuerant ausi, Dolebat etiam, quod medicinales codicillos

ſibi charos amiſiſſe putabat, quos intra ſellã reliquerat equi. Sed en interim iidem milites eum vocant, clamantes vt reuertatur, qui ſibi valde timens, an fugam potius arripere quam regredi deberet, erat non parum anxius, & Dei venerandæ parenti plurimum fidens, cuius auxilium iam Paulò antè fuerat expertus, eam rogitabat vt ipſum inſpiraret quid nam eſſet acturus, ad eos, vt pote inſpiratus, demum redire non timuit, qui libellos in ſella repertos ſat humaniter ſibi tradiderunt, dicentes. En medice, tuis medicinis non indigemus, quas, ſi peritus eſſes medicus, tecum portares non in codicillis, ſed in ſcrinio mentis. Itaque eum diſcedere permiſerunt in pace.

Si alia beatæ virginis & aliorum ſanctorum admiranda beneficia ſcriptis recenſere vellem, quæ ſacras eorum imagines, reliquiaſque venerantibus & ſuã implorãtibus opem etiã tempeſtate noſtra illi preſtare non ceſſant, quum ſint innumera, non ſufficeret calamus nec papyrus, Verum hæc

pauca prætermißis omnibus aliis ĩ laudẽ ipſi⁹ ſacratißimæ virginis memorare voluim⁹, cui poſt Deũ magis q̃ cæteris ſanctis ſum⁹ obnoxij. illa enim vt benignißima mater in noſtris neceßitatib⁹ ſemp̃ dignata fuit affatim ſuccurrere nobis. De dilectißimo cui⁹ ſpõſo, Ioſeph ſcilicet, hoc mirabile pro eius honore etiã dictur⁹ ſum, quẽ ſemp̃ affectione præcipua coluimus, animaduertentes quòd quando degebat in terris, fuit à Deo præ cæteris electus, vt eſſet Mariæ matris et ſemper virginis ſponſus, ac pueritiæ ſui vnigeniti cuſtos & alumnus, cui ſanctus angelus (euangelio teſte) dixit vt tolleret puerum, & cum Maria ei⁹ matre fugeret in Aegyptũ, iterum monuit eum opportuno tempore, vt illum reduceret in Iudæam. tunc eundo, ſtando, & redeundo multos fuit paſſus labores, vt Ioannes Gerſon Pariſienſis Cancellarius, & ſacræ theologiæ doctor meritò celeberrim⁹ pulchre deſcribit in præclaro quodam opere, quod ab illius nomine Ioſephinã appellauit. Vnde Guillielmus Sciſſorius or-

diuis

dinis Carthusiani venerabilis religiosus, hæc tunc ad illum carmina misit.

Sicut es humanæ Gerson diuæque peritus
Legis, & eloquij, Iosephinam sensibus altam
Auribus in nostris cecinisti gutture dulci:
Quã duros paruiq; Iesu, matrisque Mariæ
Et Ioseph vna dom⁹ fuerit perpessa labores
Dũ fugit aptantem lætalia tela tyrannum
In mortẽ pueri, noctẽ dum captat opacam,
Dum petit Aegyptum, dum viuit gẽte sub ipsa,
Dũ natale solum repetit, cum virgine natũ
Arte Ioseph quãta rexit, quã iustus vtrique
Custos, egregie scripsisti.

Anni nãque triginta iam effluxerũt quòd ab Italia discedẽs vt rursus venirẽ ĩ Galliã, vna dierũ cuidam appuli diuersorio in agro Nouariensi situato. ibi die illa fuimus hospitati. vbi dum nobis cœna parabatur, en modestißimæ indolis puer duodecim natus annos, vt aiebat caupo, cuius erat filius, se coram nobis offert, qui interrogatus, quod esset sibi nomẽ, respondit, Ioseph

nomine vocor. Ab eius patre quæsiui cur sic eũ vocari voluerit, quũ paucissimi hui⁹ nominis reperiantur, tũc ille qui senex synceram probitatem, prudentiam, honestamque grauitatem aspectu ac eloquio præseferebat; hoc tradidit responsum, Quoties recolo me huic meo primogenito tam sanctum donasse nomen, toties vehementer lætor; hoc enim nomine diuus Ioseph ab ingenti periculo eum seruauit incolumem: Nam illo die, quo puer iste natus est: Quidam franciscanus, religiosus sanè venerandus fortuitò huc accesserat; quem consului, quod ei nomen daturus essem, In primis mihi dixit. Hi parentes laudandi sunt, qui pulchra nomina suis filiis procurant, quæ si venderentur, pulchriora quidem maiori precio emi deberent. Quale enim est alicuius nomen, is nonnunquam talis esse prospicitur. Vnde De⁹ cunctipotens suũ filium anteaquàm in virginis vtero conciperetur, hoc salutifero nomine Iesu per angelũ vocauit, qui inquit: Et vocabis nomẽ eius iesum, ꝙ interpretatur Saluator,

quia ille saluum facturus erat populũ suum à peccatis eorum: Ioseph quoq;, qui fuit domini nostri Iesu Christi pater putatiuus: honorabile nomen habet, quod domini iustus, vel domini iustificatus interpretatũ est, de quo Matthæus euãgelista testatur, dicens: Ioseph autẽ vir eius: quum esset iustus &c. Quare te hortor, vt ĩ sacro fõte filio tuo hoc tam laudabile nomẽ in honorẽ dei & sancti Ioseph imponi mãdes: quem cõtinuè roga: vt illi apud deũ iugis sit patronus, qui suis eum precationibus iustum & timoratum adeò reddat, vt Ioseph vocari mereatur, à cũctisque periculis animæ & corporis sua benignitate præseruet: quod si feceris, nunquã te pœnitebit, sed magis vsquequaque lætaberis. Huius igitur venerãdi patris adhærens consilio eũ volui hoc sancto semper nomine vocari, quem diuo Ioseph quotidie commendaui, vt corã deo aßiduus ei sit aduocatus. Hic nunc puer dum olim esset infans trimestris, & quodam die carnispriuij dormiret in cunis in cubiculo inferiori: superius cubiculum

erat agrestibus repletum, qui adeò enormiter saltitabant, vt totum eius solariũ & illi omnes simul corruerint inferius, vbi iacebat dormiẽs puellus, quem ex tam graui & repentino casu nos flẽtes haud dubie arbitrabamur interemptum, & eius corpusculum penitus allisum ac attritũ. cunabulum enim trabibus, cæmentis & lateribus erat ita coopertũ, onustũq;, vt illa inde sine magno labore & tẽpore non potuerimus remouere. cunis tandẽ apparentibus, infantẽ sine vlla læsione inuenimus dormientẽ. tũc id mihi repẽte succurrit, quod ille probißim⁹ Chordiger nobis anteà prædicauerat. Nos ideo tendẽtes cuncti duplices ad sydera palmas, clamantesq; Sãcte Ioseph, sancte Ioseph, ĩ primis deo, deinde sibi gratias egimus, quòd ei⁹ gratißima prece ipse dominus (vt firma fide credimus) filium nostrũ sub tanta ruina seruasset illæsum. Ego autẽ ad eum sæpe conuersus in rerum mearũ discrimine & periculo, præsens ipsius auxilium maximè quum peregre profectus essem, expertus sum.

Quoniam

Quoniam Erasmus etiam in hoc suo precationū libello de beato Antonio satis contemptibiliter mentionē fecit: Iste sanctus, qui contempsit vitam mundi, & ad cœlestia regna peruenit, quàm sit apud dominū potens, multa comprobant eius miracula: ex quibus hoc vnum duntaxat referā, quod nostra tempestate in Italia cōtigit apud opidum sancti Donini: vbi templum aliquod conspicitur in dei & diui Antonij honorē dedicatum, cui domus est annexa, quā cōmendatarius quidam colit: ibi temporalia bona illi tēplo, eius diui amore donata custodiens, quæ nonnulli milites Galli eo tempore quo Carolus octauus Francorum rex iuit in Italiam, domum illam transeunter ingredientes inuadunt, diripiuntque: tunc illorum bonorum custos vociferari cœpit; Quidnam agitis armati milites? nónne animaduertitis hæc esse bona diui Antonij, quæ tam impiè & furibundè rapitis consumitisq́;? Ab hac impietate & rapina vos abstineatis (quæso)

alioquin vereor ne iram dei sentiatis in bre ui. Illi autem ex his commendatarij verbis feroces magis effecti, eum conuitiis & minis affecerunt, sanctum Antonium deridẽtes, contemnentesque. En mox vnum ex illis, qui cæteris maior, & arrogantior videbatur, sacer ignis à plãta pedis inuasit, & sensim ascendendo vsque ad verticem capitis paulatim combussit illum, interim magno cũ clamore flentem, & querulas voces ad sydera miserabiliter emittentem: qui denique remansit extinctus vt niger stipes, vel ater truncus à fulgure tactus. Alij verò hoc stupendum & formidabile malum cernentes, cuncta quæ ex bonis eius diui rapuerant, statim reddidêre, fugamque rapuerunt festinanter, relinquentes ibi teterrimum illius miserandi militis cadauer, quod in propatulo ante fores illius ædis repentè fuit affixum, vt cunctis horrendum illud spectaculum inter transeundum aspicientibus, & ab incolis illius loci causam rei, quæ sat illic notoria est, intelligentibus, sicut ego illac aliquando trans-

transiens ab illis didici, esset exẽplo, quo ipsum diuum reuereri (vt par est) & non temnere magis ac magis excitarentur. Alterum tamen silere nolo, quod nobis olim probissimus quidam religiosus ordinis cælestinorũ narrauit. Quũ enim ignis ille terribilis suæ manus dextræ digitum, qui dicitur index, fuisset aggressus, nulla poterat medela sanari, nec ignis compesci, quin cum vehementi eius dolore quotidie magis serperet: vltro tunc se diuo Antonio religiosè commendauit, vt à deo sibi gratiam sanitatis impetraret: qui paulò pòst illo mirabili igne penitus extincto à tam crudeli morbo beati Antonij precibus se nouit omnino liberatum.

Istud etiam de diuo Francisco scribere decreuimus, quod euenit tẽpore, quo rex Galliarum Ludouicus duodecimus ducatũ Mediolanensem sub sua ditione tenebat. Nam quum magnus Gallorum exercitus, eo die, quo beati Francisci festum ecclesia catholica celebrat, Carpum versus pergeret, vt diriperet illud, ipsiusque regis subiiceret pote-

ſtati, prius ad quandam planiciem amplisſimam ab oppido Carpi tribus milliaribus diſtantem peruenit, vbi duo Chordigeri ſiue Franciſcani coram ipſius exercitus Imperatore comparentes ei dixerunt, Nunc cum tanta equitum multitudine celeriter equitas vt Carpi hoſtiliter capias oppidum: ſed ſcias quòd tui voti nullatenus fies compos. Dux ipſe militaris ob hoc indignatus illos capi iuſſit. At mox euanuerunt. Ille verò progreſſus iam prope Carpum deuenerat, ad quod expugnandum quum ſe penitus accingeret, en apparens nuncius ei confeſtim regias obtulit literas, quibus continebatur, quòd eis lectis vnà cum toto exercitu repente illinc abiret, & Carpum relinqueret intactum. qui verborum illico memor, quæ illi Minoritæ in vaſta planitie ſibi retulerant: animaduerténſque diem illum diuo Franciſco eſſe dicatum, valde miratus eſt, & ea quæ paulo ante ab illis religioſis audiuerat, qui ſtatim facti fuerant inuiſibiles, tunc Carpinatibus enarrauit, aſſerens ſe credere firmiter

eos precibus & ope beati Francisci à tanto periculo fuisse liberatos. Hanc ob rem quotannis quando festa diui Francisci colitur dies, totus clerus simul & populus eius oppidi cum solenni & publica supplicatione ad illius templũ reuerẽter incedunt: ibiq; deo optimo maximo ipsique sancto gratias pro tanto beneficio humiliter agũt: quem Albertus pius tunc illius oppidi magnificus comes dum hac vesceretur aura, non parum religiosè venerabatur.

Ex istis nanque & aliis innumeris miraculis, quæ à sancta Virgine & à cæteris diuis (quotidie deo illis potestatem donante) fiunt in eorum magnum commodum, qui illorum templa, statuas, imagines, & lipsana visitantes, reuerenterque colentes, suam implorant opem: liquidè constat Erasmum & nonnullos alios in hoc ei adhærentes, iniquè, arroganter, & impiè veros Christicolas imagines reliquiasque sanctorum venerantes redarguere, taxare, & deridere. Osten-

dunt isti profectò se penitus esse mēte captos, vel nequißimos, qui hæc non credunt; sed ea falsò calumniari audent, quæ quotidiebus multis in locis apertè fieri conspiciuntur: vndè adeò vera sunt & manifesta, vt nulla valeant palliari, vel negari tergiuersatione. Dominum ex corde rogamus, vt istos cæcutientes illuminet, vt à fouea tam perniciosi erroris pedem retrahant, & alios in eā præcipitanter non iducant.

Verùm quamplurimi docti & probißimi viri, qui non solùm hunc, sed & multos alios in opusculis huius Erasmi deprehenderunt errores, eum sæpe monuerūt, quòd diuum Augustinum doctorē eminentißimū, & præsulem sanctißimum, salubrique doctrina conspicuum, sub sanctis cuius institutis ipse tanquam religiosus quondā militauerat: in hoc saltem imitari vellet, sua scilicet errata retractando. Quia (vt idem sapientißimus doctor ait) Magnæ sapiētiæ est, hominem reuocare quod malè locutus est. Is verò semper in omnibus suis opinionibus magis

gis

gis pertinax, nullorũ monitionibus acquiescens, in suis Apologiis longè magis offendendo, quàm se defendẽdo, in eos qui magna cum modestia & charitate ea quæ perperã scripsit, refellerunt, asperrimis conuitiis iugiter inuectus est. Quas ob res se nolle diuum Augustinũ imitari, sed ei potius aduersari penitus arguit: quem iam diu spreuerat, habitum suæ religionis abiiciendo. Ita etiam eius, immo communem sanctæ matris ecclesiæ sententiam audacter spernit: dum in libro suarum supputationum ait se dubitare an proditum scripto sit Symbolum ab Apostolis: & ita dicit se dubitare, vt cupiat esse probatum: ibi in assertione quarta hæc verba subdens: An infidelis sim, si dubitẽ hoc credere Augustino, scilicet quòd Apostoli Symbolum scripserint? Erat ille vir bonus, & (vt est Christiana simplicitas) impensè credulus, ac (ni fallor) nec hoc seriò credidit: sed abusus est vulgi non impia opinione ad plenius enarrandum. Hæc ibi noster Erasmus: cui Natalis Beda theolog⁹ doctor, &

vir certè ob eius doctrinam ac sanctitatem oppidò reuerendus, egregiè respondendo, hæc inter alia inquit: Perpende lector, quàm sit frater Erasmus beato suo patriarchæ Augustino deuotus. Erat (inquit) impense credulus, id est citò credens, & ita leuis corde. In cathedra veritatis populum dei docens, asserit id (vt hic loquitur, sed certè nō parua in patrem suum impietate Erasmus) quod corde serio non credebat. Mentiebatur ergo vulgi opinione abusus. Præ cæteris doctorib' magis laborauit Augustinus, vt per scripturas conuinceret, mēdacium quodcunque, peccatum esse, adeò vt nec quidem humilitatis causa voluerit mentiri vllatenus esse licitū. Nulli in prudentia naturali & acquisita secundus ille fuit, in iudicio cautissimus: deū ante oculos (ex quo plenè ad eū cōuersus est) admirando studio semper habuit: quod manifestè eius omnia scripta commonstrant. Nemo sanè fidelium scriptorum de Augustino iudicauit, aut suspicatus est,

quod iste ordinis illius sacri desertor; iudex iniquus, hic nempe reuerendus, sanctissimusque pater Augustinus dum hac vescebatur aura, semper congruis diuos honorando titulis, eosque rogando, alios etiam illos honore debito venerari precarique docuit, illam præsertim deiparam & virginem sacrosanctam dignis (quantum potuit) præconiis in suis sermonibus exaltauit, præcipuisque magnificauit laudibus; eam sæpe precando, vt in eius pulcherrimo sermone patet quem edidit de admiranda ipsius virginis assumptione: quam sic ibi humiliter alloquitur: Quas tibi laudes fragilitas humani generis persoluet: quæ solo tuo commercio recuperandi aditum inuenit? Accipe quascunque exiles, quascunque meritis tuis impares gratiarum actiones: & quum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte & reporta nobis gratiam reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus. Accipe quod offeri-

cundum Lucam ſic ſcribere: Diuini fauoris eſt (ait Gabriel ad Mariam) quod offertur: non tibi meriti: quia eius eſt tanta cæcitas, & inſania, vt malit cum aliquibus ſui ſimilibus errare, quàm cum eccleſia catholica bene ſentire. Quod enim ipſe dicit Gabrielis eloquium ad mundi dominam referens; videlicet, quod offertur, non meriti tui eſt: hoc Gabrielem dixiſſe vel ſenſiſſe, ſic abſolutè referendo, perperam loquitur: & illa verba ſcilicet: quia quem meruiſti portare; longè peius exponit, dicens, hoc contigit tibi. Diuinum fauorem præceßiſſe fatemur, quo deus (vt venerandus doctor Iudocus in ſuo aureo libello de veneratione ſanctorum affatim demonſtrat) præuenit illam in benedictionibus dulcedinis, effecitque eandem ad illud admirabile myſterium in ipſa perficiendum dignam, ad quod ante ſecula eam elegerat. Nihilo ſecius & ipſa candidißimæ virginitatis propoſito etiam in fœdere connubiali ſeruato, ſummæ itidē humilitatis ſtudio atq; exercitio, ardentißimæ præterea charitatis

feruore; eximiæ etiam mansuetudinis & benignitatis affectu, cæterisque virtutum officiis & operibus, quibus ab ineunte ætate aßiduè se exercuerat adiutore deo, seipsam etiam, quantũ homini fas est, reddidit dignã per exuberãtem dei in se gratiam, vt diuino illi mysterio ad quod fuerat electa & præelecta à domino, inueniretur idonea, apta, et congrua. Rectè igitur tam excellenti & singulari Virgini illud attribuitur præconiũ, quòd meruerit portare regem cœlorũ & dominũ; id est, digna fuerit atq; idonea ex dei munere primũ, & deĩde sua ipsius apta dispositione per bonorum operũ studiũ ferre castis suis visceribus Christũ dei filium: quemadmodum & de iustis dicit liber Sapientiæ, quòd deus tentauit eos, & tanquam aurũ in fornace probauit illos, & inuenit eos dignos se. & in Apoc. de sanctis ipsis deus loquẽs cõtestatur, Ambulabũt mecũ in albis: quoniã digni sunt: quos ipse deus sua gratia dignos effecit ita, vt ambulare secũ mererẽtur. Vnde Picus ille Ioannes Mirãdulanus verè

rè cecinit.

Et quos non dignos inuenis, ipse facis.

Sed quũ beatissima Virgo & sit & fuerit plena dei gratia, qua effecta est dignissima, vt (domino respiciente etiam illius sanctissima opera) meruerit in suo sacro vtero portare ipsum dei filiũ: quã ideo diuinus spiritus inter alia dicere cõpulit, Quia respexit humilitatẽ ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: Erasmus iste nunquam sic scribere debuisset, Gabrielem illi dixisse, id non esse sui meriti, quod ei offerebat ille, dicens, Ecce concipies in vtero, & paries filiũ &c. Nec illud quod ecclesia dicit ipsi Virgini, Quia quẽ meruisti portare, tã insipiẽter exponere, hoc est, contigit tibi. Quæ quidẽ peruersa expositio, & à verbi huius meruisti, significatiõe, & ab intẽtione ipsius ecclesiæ penitus est aliena. Quãuis enĩ illa ob sanctitatẽ cunctasq; virtutes suas nõ meruerit ꝙ hoc esset sibi debitum, quasi ad id ipsum ei præstandũ, ꝙ. s. fieret filij dei mater, de⁹ fuisset obstrictus ac deuinct⁹: tñ præ cæte

ris mulieribus fieri meruit filij ipsius dei mater semper intacta, præueniente dei gratia: cui bona cuncta in primis accepta semper sunt referenda. Itaq; in eo sensu quem supra retulimus, etiam erat sui meriti quod Gabriel ei offerebat. Quum sit igitur ipsa sacratissima virgo talis & tanta mater, quæ gratia, sanctitate, & meritis puras omnes creaturas lõgè antecellat: diuus Augustin⁹ in quodam suo sermone ad illam præ cæteris confugere cunctos Christicolas inuitat, dicens: Fratres cum toto mentis affectu beatissimæ Virginis nos intercessionibus committamus: omnes eius patrocinia omni nixu imploremus: vt dũ nos supplici eam obsequio frequentamus in terris, ipsa nos sedula prece commendare dignetur in cælis. Neq; dubiũ, eam quæ meruit pro liberandis proferre precium, posse plus omnibus liberatis impendere suffragium. Hæc Augustinus ille præsul tantæ sanctitatis, & doctor tam sanæ & eminẽtis scientiæ, sapientiæque, ac auctoritatis: vt post sanctos Apostolos inter

 alios

alios omnes militantis ecclesiæ doctores primarius sit, & habeatur: de quo id quod Aristoteles olim de Platone cecinit, meritò cantari potest;

Talem nulla ferent secla futura virum.

Tullius moralis Philosophus & eloquentiæ princeps in Tusculanis quæstionibus Atticum inducit sic ei dicentem, Errare me hercule malo cum Platone, quem quanti facias, scio, & quem ex tuo ore admiror, quàm cum istis vera sentire. Itaque dicimus, si errare liceret, cum diuo Augustino (quod ipsum quidem fieri nequit) quem quanti vniuersalis ecclesia faciat, & auream eius doctrinam quantum illa admiretur, manifestum est, potius errare vellemus, quàm cum Erasmo rectè sentire, qui à tanto patre in multis valde degenerauit. Sed alia eius deliramenta quæ in hoc suo libello signauimus verũ, nũc aperire nobis non datur ociũ, quod quum primum fuerimus nacti, mox alias super illis ad te scribemus. Vale in Domino: in quo Solarium tuum redama quæso.

Ad Reuerendissimum

in Christo patrem, & D. dominũ Rodulphũ Piũ, Fauentiæ Pontificem sapiẽtissimũ, ac sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem dignissimũ, Antonij Solærij Carpinatis Epistola vnà cum epitaphio in laudem Alberti Pij Carporum quondam Comitis magnifici.



E tantus inuasit dolor, (obseruãdissime domine) quũ honoratissimi patrui tui Carporum principis obitus mihi nuper nunciatus fuit, vt neque mẽs neque vox suum satis apud me locum tenuerit. Subiit enim mihi, quanta me beneuolentia semper ille fuerat prosecutus, quantóque sua singulari liberalitate me decorauerat munere, quòd si voluissem in patria trahere morã, magno mihi & honori fuisset, & commodo. Nunc iam reuoluitur

annus

annus quòd ad me ornatiſsimam epiſtolam ſcribere dignatus eſt, ex qua non parua ſui erga me ſeruulum ſuum amoris argumenta facilè perſpexi. Mox inſuper nobis occurrit quantam ſui, & probi omnes, ac vniuerſalis reſpublica, morte tanti principis fecerint iacturã: qui quanta laude, quantóque præconio dign⁹ ſit, laudatiſsima eius conuerſatio, optima vita, præclariſsimæ virtutes, manifeſtè teſtantur. Nam ipſe literatiſsim⁹, ingenuarũ artiũ amãtiſsimus erat, & literatos ac probos non parum fouebat omnes, ſapientiſsimorumque virorum commercio plurimum delectabatur, & velut alter Alexãder imperator Romanus, in cõuiuio (vt fama eſt) graues, doctos, & ſapiẽtes ſemper adhibebat, dicens ſe literatis diſceptationibus longè magis delectari paſciq́;, quàm eduliis opiparè conditis. Eſt enim (vt diuus Auguſtinus inquit) oppidò maior mẽtis quàm ventris refectio.

Quanta verò fuerit huius magnanimi principis prudẽtia, quãta perſpicacitas, quã-

ta denique administrãdi principatus solertia, nemo non nouit. In eo benignitas admirãda, singularis mansuetudo, præcipua munificentia, incredibilis fides, flagrantißimus Christianæ religionis affectus, mirabilis clementia: quibus quidẽ ita penitus sua egregia dignitas florebat, vt ad eximiam earum gloriam nihil omnino addi potuisset. Taceo mirã eius in agẽdis dexteritatẽ. Taceo modestiam, temperantiam, frugalitatem, necnõ & magnam eius sufferentiam, qua constãter quæque aduersa tolerabat. Sicut enim non se extollebat in prosperis, sic nullatenus succũbebat in contrariis, sed veluti tolerantißimus Dauid cũcta ferebat æquanimiter. Si enim læta sibi eueniebãt, hæc liberalitati & misericordiæ Dei accepta referebat. Si verò etiã ei accidebant tristia, illa Domini attribuebat iustitiæ, vt si quid ipse humana fragilitate contraxisset abstergẽdũ, id totum in eo expiaretur sic patiẽter tolerãdo, vt post ea quũ eius animus ab ergastulo corporis egrederetur, omnino nitidus ante suũ Plastem

appa-

appareret, æternis gaudiis perenniter fruiturus. Quamobrem siue Dominus eũ virga iustitiæ percuteret, siue baculo misericordiæ ipsum sustentaret, lubẽter vtrũque & humiliter admittens, cum Propheta canebat, Virga tua & baculus tu⁹ ipsa me cõsolata sunt.

Albertus ille priscus, ab ingenij magnitudine magni nomen iure sortitus est: iste autẽ non solũ à præstãtis animi sui altitudine, verũ etiã à rerũ gestarũ magnitudine, ac inclytarũ celsitudine virtutũ, magnus meritò nũcupari poterat, sicut pius non abre cognominatus est. Pietas enim (vt Augustinus ille diuinus doctor tradit) est summi Dei cultus & veneratio. Is sanè religiosißimus princeps tãto maiori latria eusebiaq; Deum optimũ maximum colebat & venerabatur, quãto magis & Philosophiã & theosophiã summopere callebat. Quare multi ab Academia Parisiensi doctores peritißimi sæpius ad nos scripserũt illũ maximã in sacris literis apud omneis sibi peperisse gloriã: nec mirũ, quũ ab ineunte ætate sub excellentißimis

præceptoribus, quos in aula sua peculiariter nutriuerat, ac magnis decorauerat stipendiis, & humanis & diuinis scientijs, tum græcè, tum latinè, diu nauauerat operam, à quarum studio nec prospera nec aduersa illum abstrahere vnquam poterant. Quod si propter publica negocia intermittere fuisset coactus, mox illis peractis ad illud tanquam ad ortum Hesperidum veluti fessus, animi causa se retrahere solebat, Phœnicem illam imitatus, Ioannem scilicet Picum Mirādulanum eius auunculum.

Pythagoras ille Philosophiæ primus nuncupator, inter plurima quæ humano generi documēta præcepit, cū primis monet Deum religione colendū esse, animū verò disciplinis excolendum. Hic autem integerrimus princeps, perinde ac Pythagorici dogmatis obseruantißimus cultor, quantum religione præcelleret, sanctißima eius opera locupletißimū exhibēt testimoniū, quū multa tēpla suis sumptibus fundauerit, dotaueritque; ac obseruādis religiosis Romæ & alibi loca religiosa

ab

ab eis colēda, nullis parcēdo laborib⁹, multoties acquisiuerit. Quātū verò doctrina præpolleret, illud aureū quod inter alia nuper in Erasmū & Lutherū hæresiarchas cōdidit op⁹, apertè testatur. In eo enim ipse decentissimū seruās ordinē, adeò efficacißimis rationib⁹ & argumētis, ac probatißimis sacræ paginæ, sanctorum quoque patrum auctoritatib⁹ falsa ipsi⁹ Erasmi & Lutheri dogmata cōpendiose citra fastidiū cōfutauit, vt id velut carbunculus inter alias gēmas mirum in modum coruscans à cunctis fidelibus & peritis summa cum delectatione legatur, commendetur, extollaturque.

Quū homines (vt inquit Tulli⁹) ad Deum nulla re propi⁹ accedāt, quàm salutē hominib⁹ dādo, nec vlla sit melior in hominū genere natura, quàm eorū qui se natos ad homines iuuādos, tutādos, conseruādósq; arbitrantur: hic humanißimus Princeps talis erat ingenij & naturæ, quòd nullum profectò amoris, nullum studij, nullum denique pietatis vnquam prætermittebat officium, quo cunctis prodesse posset. Illud enim de se, quod

de Catone, meritò cantari posset elogium.
Non sibi, sed toti genitum se credere mundo.
Cæterùm ne magis epistolæ fines excedam, quæ magnas & innumeras hui⁹ optimi prĩcipis laudes complecti nec volo nec possum, quum illæ ab altiori ingenio historiæ grandi volumine vix celebrari possent: literis meis ac etiam dolori finẽ imponere decreui. Nam quum hic semper integerrimè vixerit; eius spiritum ad cœlestem patriam (vnde traxerat originẽ) volasse firmiter credimus. Mors enim (vt ille moralis & eloquentissimus philosophus Cicero refert) est quædã migratio, commutatioq; vitæ: quæ probissimis viris & fœminis dux in cælum esse solet. Hac igitur ipsius migratione non est dolendum: ne illius fœlicitati inuidere videamur: cui potius gratulari, & deo gratias agere debemus, quòd eum tali donauerit principatu, quo ipse verè ac perpetuò gaudens, certus sit se illo nunquam priuari posse. Cuius vestigia te imitaturum speramus, & quòd eius spiritus, sicut in Helisæo Heliæ spiritus, in te duplicetur,

tur, peroptamus. In cuius laudẽ fecit hoc qualecunque mea Musula carmen, Baiocis. M. D. XXXI. Calendis Martij.

Albert⁹ Carpi iacet hoc sub marmore princeps,
Qui semper meruit nomen habere Pij.
Est qui cõspicuis factis super æthera notus:
Cuius fama vigens vsque perennis erit.
Nã magno sapiẽs fuit hic decoratus honore:
Et fuit eloquio consilioque potens.
Tanta erat huic grauitas, & tanta mõdestia vultu
Eius, quo magno pondere verba forent.
Dum loquitur, verè credas orare Catonem
Priscum, seu sacrum relligione Numam.
Threici⁹ vates, Thebanæ & cõditor vrbis
Traduntur dulci saxa mouere sono.
Non minus hic hominum mẽtes vertebat in omnem
Quam vellet partem, tantus in ore lepos.
Solers hic Sophiæ callebat dogmata septem,
Pectore necque aberat pagina sacra suo.

In Batauum quod enim ſcripſit, dirúmque Lutherum,
Excelſum verè teſtificatur opus.
Immemor offenſæ fuit, & mitiſsimus, vllũ
Inuenies nunquam cui comitate parem.
Cũctis nãq; ſuas operas donabat egenis,
Quoſcunque exoptans conciliare ſibi.
Magnanim⁹, fortis, cõſtãs, & ferre parat⁹
In ſe quæ Nemeſis ſæua moueret, erat.
Hic morũ ſplẽdor mira probitate verendus
Nobilibus grandis gloria nempe fuit.
Orator Romã Gallorum principe miſſus
Legati functus munere ſæpe fuit.
Quem ſummus Præſul, quem tẽpora tecta gerentes
Murice Sidonio, percoluere patres.
Charus erat cunctis hic, & dilect⁹ ab omni
Gente, obitum cuius deflet vterque polus.
Cur nõ te puduit ductorẽ perdere tantum
Impia mors? igitur ſic meliora rapis?
Perdere quid refero? poti⁹ nũc (te duce) vitã
Sortitus veram, regna beata tenet.

INDEX EORVM QVAE SVMmatim in hoc opusculo continentur.

A

Christus

E

Libris

Orare

San-

FINIS.

FINIS.



A court apres auoir veu la Requeste a elle presentee par Iehã André Libraire iuré en l'vniuersité de Paris, auec la certificatiõ de la faculté de Theologie, du dernier iour de Iuing dernier passé, a permis et permect a icelluy André pouoir imprimer & exposer en vẽte certain liure intitulé Opuscu lũ de veneratione & inuocatione Sanctorũ ab Antonio Solario Carpinate vtriusq; Iuris doctore, & Baiocensi Canonico editũ in Desiderium Erasmũ: defendant a tous autres Libraires imprimeurs & autres de ce Ressort icelluy liure imprimer ou vẽdre sans l'adueu dudict suppliãt dedãs trois ans prochains, a peine de confiscation desditz liures, & amende arbitraire. Faict en Parlement le troisiesme de Iuillet.

M. D. XLVIII.

Collatiõ est faicte. *Signé du Tillet.*



Prostat Parisiis apud Ioannem André bibliopolam Parisiensem iuratum, anno M. D. XLVIII. mense Iulio.